208

CONRADI

NEOBARII DE INVENIENDI argumenti diſciplina libellus, in ſtudioſæ iuuentutis gratiam nunc primum conſcriptus.

Argentorati in ædibus [redacted],
Anno M. D. XXXVI.
Menſe Auguſto.

NOBILISSIMO ADOLESCENTI

Ioanni à Legen, Canonico Treuerenſi,

Conradus Neobarius. S. D.

QVintus & decimus hic dies eſt, mi Ioannes, ingenue pariter ac ſtudioſe adoleſcens, quod præceptor tuus Chriſtophorus Schaub, uir omnis politioris literaturæ flagrantißimus, ad nos uiſendi cauſa uenerit. Qui ſimulatque in Muſæum receptus, nobiſcum conſideret, ſumpta à rebus præſentibus occaſione, multa de formandis puerorum ſtudijs, erudite grauiterq; ex more diſputabat. Cæterum in ijs diſciplinis, quibus ſermonis artificium continetur, omnis ferè conſumebatur oratio. Ac ne ſingula perſequar, in dialecticis quanquam de inueniendi diſciplina permulta extarent grauißimorum hominum monumenta, tamen contendebat, eam facultatem ad rudia puerorum ingenia, non ſatis accommodatam eſſe. Alios enim paucioribus eam diſciplinam complexos eſſe, quàm uel ipſius amplitudo, uel differendi uſus poſtularet: alios ſatis multa quidem hac de re diſſeruiſſe, ſed partim ſuó morem geßiſſe animo, ac erudito lectori eam ſcribendi operam impendiſſe, quam prima ætas ac rudia puerorum ingenia ſuo propè iure ſibi uendicarent: partim tanquam religione prohibitos, nuſquã è ſchola pedem extuliſſe, ac peculiare quoddã dicendi genus eſſe perſequutos, quod

à uero diſſerendi uſu quàm lõgiſſime abeſſet. Hic cum uiri amiciſſimi iudicio non poſſem non ſubſcribere, attamen quorſum tam multa mecum ipſe expenderem, uidebar mihi animo cernere, totius diſputationis tanquam ſcopum. Nam qua eſt modeſtia, non tam uerbis palàm, quàm uultu à me tacite contendebat, ut meam operam ſtudioſæ iuuentuti pauliſper collocarem, & de inueniendi argumenti diſciplina, quam τοπικὴν Græci appellant, citra ullam ingenij oſtentationem, quàm poſſem craſſiſſima Minerua conſcriberem. Inſinuabat porrò uerecunde, ſi eum laborem prouinciamq; ſuſciperem, me ſibi docendi laboris aliquid adempturum, ſuæq; ſcholæ rem facturum non ingratam. Cæterum cum intelligeret me imperatum laborem, non quidem ferre moleſte, ſed tamen in ipſum reijciendi cauſam circumſpicere, tuebatur ſe iuſtiſſimis rationibus, nimirum legibus cognoſcendis ſe occupatiorem eſſe, quàm cui ad ſcribendum tempus ſuppeditaret, me autem qui recenti memoria hanc rem etiamnum complexus eſſem, neq; certo profeßionis generi meam addixiſſem operam, citra grauem meorum ſtudiorum iacturam, eam prouinciam obire poſſe. Hic equidem qua ſemper facilitate fui, onus in me non grauatim recepi: & id quidem grauius, quàm cui ferendo ingenij noſtri imbecillitas ſufficeret recepi inquam, partim ut præceptoris tui, multis mihi nominibus coniunctiſſimi occupationibus, ſi qua id fieri poſſet, conſulerem: partim ut tuis fratribus, tibiq; nominatim, cui

pro

pro maximis beneficijs non uulgarem debeo gratiam meis laboribus gratificarer. His id quoq; accedebat, quod intelligerem in hoc munere fungendo, non tam eruditionem aliquam ſingularem (hanc enim in me non agnoſco) quàm animi ſynceritatem à me requiri, ut bona fide, omnem præcipiendi rationem, ad puerorum captum referrem. Cum igitur, Ioannes amantiſſime, quod & præceptoris tui authoritate hortatuq;, & tibi tuisq; fratribus gratificandi ſtudio ſuſceptum eſt, qua licuit fide confecimus, id tuo potiſſimum nomini duximus nuncupandum: non ut tibi ornamenti aliquid hinc accederet, quid enim poſſet ex re tenuiſſima adoleſcenti & genere & eruditione clariſſimo adiungi? ſed ut tanquam cauſa diffiſi, non ſeuerum aliquem iudicem, uerum fidum patronum nobis deligeremus, qui quod nec ingenij oſtentandi gratia, nec ſpe adipiſcendi præmij, ſed officij præſtandi cauſa inducti, ſuccisiuis horis congeſſimus uerius quàm ſcripſimus, bona fide à ſycophantarum iniurijs uendicares, quorum palato nihil ferè arridet, niſi quod magno apparatu inſtructum, uerbis pluſquam tripedalibus uulgo ſe iactet. Tuum igitur erit boni patroni munere pro uirili defungi, ac ſtudioſæ iuuentutis tanquam ſuffragijs, hoc opuſculum aduerſum Momi rigorem iniurioſasq; Thraſonum calumnias tueri. Sed quid equidem hac in re tantopere ſollicitus ſum? Vtcunq; enim ceciderit, non meum, ſed ueſtrum agetur negocium, quibus omnis hæc opera à me impenſa eſt. Veruntamen ut te

tanquam defenſionis formula inſtruam, ſi quis hunc no ſtrum de inueniendo argumento commentariolum in reprehenſionem uocabit, & calumniabitur immode= ſtius, eum clementer admoneto, ne quid temere in alie na poſſeßiõe culpet, tuum enim hoc eſſe munuſculum non publicum opus: tibi tuisq; fratribus hanc à nobis impenſam operam, ac te eam cum nemine communica turum eſſe, niſi cum ſtudioſa iuuentute & ingenijs craßioribus: naſuto uero lectori, minus etiam in hoc li bello iuris concedi, quàm in aliena Repub. *ciui pere= grino.* Quod *ſi hac in re ſedulum te patronum nobis præbueris, uel tuum potius munuſculum gnauiter pro pugnaueris, arbitrabimur & in poſterum, tuo nobis utendum eſſe patrocinio, ſi quando iuuenilibus ſtudijs gratificandi temporis plus nobis ſuppeditabit.*

Vale Luteciæ, ex ſolle uiridi. Anno
M. D. XXXVI.
pridie Calendas Februa=rias.

CONRADI

NEOBARII DE INVENIENDI argumenti diſciplina libellus, in ſtudioſæ iuuentutis gratiam nunc primum conſcriptus.

Michael & Bartolomæus.

Ecquid peregre eſt animus, frater iucũdiſſime, quod cantionibus iſtis nihil afficeris? B. *Non equidem, frater, uerum id apud me expendo quod ſæpe multumq́; nos cohortari ſolet præceptor, ut temporis, quod alij conuiuijs, alij ludo, impartiuntur, id nos aut in meditationibus, aut in literatis colloquijs conſumeremus.* M. *Vis ne igitur, quoniam à publicis prælectionibus biduũ iſtuc ferientur profeſſores, ut quæ ſuperiore menſe de inueniendi diſciplina nobis tradidit præceptor, memoria repetamus?* B. *Volo id equidem. Teſtes enim ſunt authores & graues & eruditi, maximum eruditionis fructum, ex repetendis communicandisq́; ſtudijs percipi. Laudo igitur tuã indolem, quod & præceptoris monitis acquieueris, & meæ uoluntati morem geſſeris.* M. *Sed audi, ne temere noſter uagetur ſermo, ab initio ſtatim operas diſtribuamus, ut mihi delegatis interrogandi partibus, tu reſpondendi munere defungare. Quod ut mihi cõcedas, & mea iam antea facultas*

meruit, & ſingularis tua memoria ingenijq; facultas hortatur. B. *Plura mihi tribuis q̃ ipſe agnoſco, & maius quiddam poſtulas quàm cui præſtando ſufficere poßim. Veruntamen ne tuis ſtudijs impugnem, qui te mihi facillimũ præbueris, onus uel meis uirib. grauius in me recipio.* M. *Vt igitur uia quadam & diſciplinæ formula rem præſentem conſtituamus, altius paulo repetamus ſermonis exordium. Quod itaq; cedò artis dialecticæ munus eſt maxime propriũ?* B. *Tradere argumentandi artẽ, hoc eſt, rei dubiæ & in quæſtionẽ uocatæ fidem aſtruendi facultatem.* M. *Quot partibus continetur iſta facultas?* B. *Duabus, una inueniendi argumẽti, altera id quod inueneris, certa ratione eloquendi, q̃ iudicandi appellant.* M. *Argumentũ quod appellas?* B. *inuentum probabile, id eſt, ad fidem de quæſtione præſenti faciendam accõmodatum. Adeoq; ut idem dicam apertius, argumentum eſt, uox quæ propter cognationem ad quæſtionis propoſitæ fidem colligendam tanquã regula adhibetur.* M. *Inſtruit ne dialecticus ſtudioſum adoleſcentẽ omnium argumentorũ copia, quandoquidem inueniendi diſciplinam profitetur?* B. *Minime, ſed compendiariam quandam ei rationem cõmonſtrat, quam ſi in eam profeßionem, unde quæſtio petita eſt attulerit, facili compendio & ordine quodam omnia argumenta in rem præſentem conquiſierit.* M. *Quis igitur eſt iſtius diſciplinæ ortus, quæq; deſcripta formula?* B. *Dicam utrunq; quàm potero planißime. Cum dialectici modum & inueniendi ratio*

Proprium Dialectices officium.

Quatenus argumenta ſuppeditẽt dialectici.

De ortu diſciplinæ inueniendi argumenti.

nem

nem profeſſi, omneis philoſophiæ ſtudioſos cæterarũq; profeſſionum alumnos, hac facultate cuperent inſtrue re, nec tamen in uarietate rerum propemodum immen ſa, ſingularum uocum cognationes, hoc eſt, quæſtionũ argumenta, poſſent enumeratione colligere, ibi tum in eam partem ſtudij, omnem ingenij curam animiq; indu ſtriam contulerunt, ut in rebus omnibus ſimilem quan dam affectionem atq; naturã animaduerterent, cui cõ= munem quoq; inuentionis methodum accommodarẽt. Poſtquam igitur ſingulari quodam ingenij acumine, & aſſiduo diſſerẽdi exercitio, certam quandam, quod ad inueniendũ pertineret, in rebus ſimilitudinem per= ſpexiſſent, communes argumentorum, id eſt, rerum co gnatarum ſiue indices ſiue titulos, ſiue ita mauis ap= pellare, notas excogitarunt, quæ in qualibet quæſtione explicanda ſtudioſum adoleſcentem quaſi manu præ henſum, in argumenti inuentionem deducerent. Solet itaq; Chriſtophorus, præceptor noſter, hanc inuenien di diſciplinam illi arti conferre, quam memoriæ conſer uandæ fecerunt ueteres. Nam ut illa certis locorum quaſi regionibus deſcriptis, confictiſq; rerum memo= riæ affigendarum ſimulachris, prolixam orationem ordine quodam animo ſubijcit: ita profecto inueniendi quoq; diſciplina communibus argumentorum uel ſe= dibus notatis, uel ſignis defixis eam ſtudioſis faculta= tem ſuppeditat, cuius beneficio & uia expedita, & cer to ordine, numeroſam rerum cognatarum ſuppelle= ctilem comportent, unde quæſtionis in utramuis par=

Argumento rũ indices.

Τοπικὴ ſi= milis memo riæ arti.

tem comprobandæ, argumenta mutuentur. Deinde id *quoq; ſolet adijcere, quod ſtatuæ* Mercuriales *ſecus uiam poſitæ, uiatori itineris ignaro præſtant, hoc ipſum locos conferre ſtudioſo puero, in exquirendis argumentis, & uocum cognationibus.* M. Probe te*nes præceptoris ſententiam: uerum hæc de origine iſtius diſciplinæ nobis ſufficiant, plura enim inſtituti ſermonis compendium, non permiſerit.* Quandoqui*dem igitur in deſcribendis locis, quos uocant, omnis hæc diſciplina conſumitur, ad horum finitiones partitionesq; accingamur, & à generis deſcriptione methodum exordiamur.* B. *Loci igitur ſunt communes rerum notæ, ac ueluti tituli quorum indicijs tanquam ueſtigijs; quid quaq; in re probabile ſit, certa compendij ordinisq; ratione conquiritur.* M. Ma*gnopere mihi placet, quod locos notas & titulos appellas, ſunt enim hæc nomina ad locorum uim uſumq; patefaciendum accommodata.* B. *Vis ne igitur, ut nomina commutemus, & quos locos alij, nos modo notas, modo titulos, modo indices appellemus?* M. *Id equidem percupio, uidentur enim hæc nomina ad huius diſciplinæ uſum accommodatiora eſſe: ſed quæ eſt titulorum (retinebo enim quod inuenimus) communium partitio?* B. *Eadem prorſum quæ argumentorum, quorum indices ſunt. Verum ne quid rebus immorer, omnem hanc uarietatem in tabellam redigam, tibiq; ſpectandam exhibebo, ut uno aſpectu ſemel per omnes titulos decurrere liceat.*

Definitio loci.

Partitio titulorũ inuentionis.

Titulorũ:

- Alij interni, & hi rurſus
  - Partim in ſubſtantia rei, ut
    - Definitio
    - Genus
    - Species
    - Proprium
    - Totum
    - Partes
    - Coniugata.
  - Partim circa ſubſtantiam rei,
    - Adiacentia
    - Actus
    - Subiecta.
- Alij externi atque hi
  - Aut cognata dicũtur quorum
    - Alia cauſæ ſũt ut
      - Efficiens
      - Finis
    - Alia euẽta, ut
      - Effecta
      - deſtinata
  - Aut applicita, quod genus. ſ.
    - Locus
    - Tempus
    - Connexa
  - Aut accidẽtia, quorum quinq; genera ſunt,
    - Contingentia
    - Pronunciata
    - Nomen rei
    - Comparata
    - Similia.
  - Aut repugnantia, ut
    - Oppoſita
    - Differentia.

Hæc titulorum diuiſio, hic numerus: age tanquam à calce ad carceres reuerſi, ſingulos deinceps definiendi diuidendiq; methodo adhibita, perſequamur diligentius, & quem quiſq; argumenti uerſum præſtet, tanquam formula præſcripta paucis complectamur.

Tituli in ſubſtantia rei.

M. Quos igitur titulos in rei ſubſtantia conſtitutos intelligis? B. Qui notæ indicesq; ſunt argumentorum, quæ cum rebus ipſis quibus explicandis adhibentur, intrinſeca quadam atq; neceſſaria cognatione deuincta ſunt. M. Quot huic generi formæ ſubijciuntur? B. Septem, & quidem his nominibus, Definitio Genus, Species, proprium, cui & differētia ſubijcitur, Totum, Partes, & Coniugata. M. Quid eſt definitio? B. Index argumenti, quo res probanda, quid ſit proprie breuiterq; explicatur. Hinc igitur argumenta depromſeris, ſi uel hominē ad literas natum, quod ſit animal rationis ſandiq; compos, uel uoluptatem uiro forti indignam eſſe diſputes, quod ſit iucūdus in ſenſu motus. M. Ex quibus rebus conſtat argumentum à definitione ductum? B. Ex rei probandæ genere & differentia, aut aliquo, quod differentiæ uſum præſtet. Vt in ſuperioribus exemplis, hominis quidem genus, animal: differentia uero, rationis ſandiq; cōpos: uoluptatis item genus motus eſt, differentia, ſenſum ſuauitate demulcens. M. Quot numerant uulgo definitionū formas? B. Alij quinq;, alij plures, quæ omnes pro differētiarum uarietate colliguntur. Generis enim rationem, in omni definitionis modo, eandē eſſe oportet.

Definitio, primus inuentionis titulus.

Verũ has ordine deſcribere, nec animus eſt, nec huius inſtituti, quod ferè ſit omniũ uis probãdi eadẽ. M. Ro*gabo igitur, id quod hoc loco minime prætereundũ eſt quæ ueræ legittimæq́; finitionis lex & regula ſit.* B. *omnibus numeris expleta definitio habenda eſt, quæ conuerti poteſt cum eo quod definitur, eiusq́; naturam commode explicat. Cõtra, uitioſa exiſtimanda eſt, quæ aut plura aut pauciora complectitur, q̃ eius, quod definitur ratio poſtulat. Quorum utrumcunq́; acciderit, reprehendendũ eſt inde ductũ argumentũ.* M. *Quæ eſt huius loci formula?* B. *Definitio conuertitur cum re definita, tum in tribuẽdo, tũ in remouendo, hoc eſt, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue argumenteris. Vt, ſi ueri falſiq́; dijudicandi facultas tantopere expetitur, ergo dialectica quoq́; comparanda eſt. Si minime decet uirum fortem, eum motum ſtudioſe conſectari, qui ſenſus ſuauiter iucũdeq́; afficit, ergo nec uoluptas illa perſequenda eſt. Sic contra, definitio in utranq́; partem colligi poteſt, ex uoce definita: ut, ſi philoſophia nobis conceſſa eſt, ergo & rerum humanarum atq́; diuinarum ſcientia. Si is motus qui ſenſum iucunditate permulcet, ſapienti fugiendus eſt, ergo illi minime expetenda uoluptas. Porrò conuertitur quoq́; definitio cum definito, quod ad exiſtendi rationem attinet. Vt, ſi animal rationis fandiq́; compos eſt, ergo homo eſt. Et contra, ſi homo eſt, ergo animal eſt, quod rationis fandiq́; compos ſit. Eadem ratio & in remouendo uſurpatur, ut, ſi homo non eſt, ergo nec animal rationis*

Bonæ & uitioſæ definitionis lex.

Formula argumẽtandi ex definitione.

fandiq; compos. Verum in hũc modum aliquot exem plorum myriades confingi poſſunt, quæ apud oratores iucunda quadam elocutionis uarietate diſtinguuntur. Porrò huc ſpectat locus, quem à deſcriptione appellauit Themiſtius. Nam legitima deſcriptio, & id quod deſcribitur mutuum, in utranq; partem probandi uſum præſtant. Nihil enim aliud eſt deſcriptio, quàm definitio quædam liberior, ex accidentibus conſtituta.

Deſcriptio

M. Genus quod uocas? B. Sedem indicemq; argumenti, quod de re præſenti, in eo, quod quid eſt, dici poteſt: uel quod cum re propoſita non alia cognatione iungitur, atq; cum filio parens. Vt ſi de Platone ambigens, hominem: ſi de homine controuertens, ipſum animal in argumentum aſſumes, ex genere ductum erit utrunq; argumentum. Nam ſi quid Plato ſit interroges, homo: ſi quid homo ſit, animal apte reſpõdebitur,

Genus, ſecũdus inuentionis titulus

M. Idem ne uocas genus & ſpeciem? B. Prorſum, quod ad argumẽti uſum pertinet. Hactenus enim uis eadem eſt ſpeciei ad indiuiduum relatæ, quæ generis ad ſpeciem probandam. M. Quæ eſt formula, ex genere argumentandi? B. Ad generis remotionem conſequitur & ſpeciei inficiatio. Et contrà, uniuerſo genere affirmato, cuiuſlibet ſpeciei aſſertio efficitur. Prioris formæ huiuſmodi fingantur exempla: Si uirtus non eſt ergo nec iuſtitia. Ad ſpeciem pertinent, Si Troiani nulli fuerunt, ergo nec Aeneas Virgilianus: ſi affectus laudem nullam merentur, male igitur iracundia tanquam fortitudinis inſtrumẽtum, à Peripateticis laudatur. Poſteri

Formula argumẽtandi à genere

ſterioris modi hæc ſunt paradigmata. Omnis magiſtratus legitimus, Chriſtiano homini in religione cōceditur, ergo impiū non eſt, iudicis perſonam ſuſtinere. Si omne animal ſpirat, ergo & piſcibus hæc facultas tribuenda eſt. M. *Quæ eſt ratio indiuidui ex ſpecie colligendi?* B. *Eadem quæ ſpeciei ex genere, ut ſi homini uitæ immortalitas denegata eſt, non inique ferendū eſt, quod Aphricanus morte occubuerit. Si Troiani nulli extiterunt, ergo nec Aeneas Virgilianus. Si omnis homo ea naturæ lege naſcitur, ut ſtatuto tempore, mortem oppetat, fuit quoq; Neſtori & Iſocrati ſemel moriendum. Vulgo appellant hanc argumentandi figuram, à ſuperiore ad inferius.* M. *Quid porrò de genere annotare ſolet præceptor?* B. *Genus uere prædicari de ſingulis ſpeciebus, & quicquid ſub his comprehenditur: at non contrà. Præterea de quocunq; prædicatur genus, proximum, de eodem & ſuperiora rectè in oratione dici. Ideoque firmum eſſe Soritem, qui ex generum & ſpecierum collectione efficitur. Vt, iuſticia eſt uirtus, uirtus eſt habitus animi, habitus animi eſt qualitas uſu & ratione comparata, ergo iuſticia uſu & ratione comparatur. His quoq; adiungere ſolet oratores quoties cauſæ dignitas poſtulat, argumentum ex genere ductū, ad inſtar loci communis ſplendide & copioſe pertractare.* M. *Generis deſcriptionem uſumq; perfeciſti, iam ſpeciem quā uocas?* B. *Communē argumentandi indicem, quod rei probandæ certa ratione ſubijcitur, perinde atq; parēti liberi: Seu in quod*

Annotatio.

Species, tertius inuētionis titulus.

uox in quæſtione poſita legittime diuidi poteſt. Hinc *itaq; argumentum ductum exiſtimabitur, ſi uel ad animalis naturam oſtendendam, hominem, aut ex brutis quoduis: uel ad hominis rationem comprobandam*, Romulum, *aut* Numam *adhibeas*. Animali enim homo & *brutum: & homini* Romulus & Numa, *certa ratione ſubijciuntur*. M. *Eundē ne argumentandi uſum præſtant ſpecies & indiuiduum?* B. *Præſtant ſanè, modo ad ſuum quodq; ſuperius, nempe ſpeciem ad genus, & indiuiduum ad ſpeciei rationem conferas*. M. *Quæ eſt huic argumentādi lex?* B. *Ex una ſpecie affirmata, conſequitur & ſimplex generis conſtitutio. Cōtra, omnibus formis remotis, remouetur & genus*. Vt, *ſi iuſtitia præditus eſt, ergo uirtutem habet. Si utilitas cum natura conſentit, ergo & bonum cum ipſa congruit*. Et *contra*, Catilina *caruit prudentia, iuſticia, fortitudine & temperantia, ergo nulla uirtute præditus fuit*. Vbi *nec monarchia eſt, nec* Democratia, *nec* Ariſtocra*tia, nec oligarchia, ibi nulla exiſtimabitur eſſe ciuitas*. Conſimilis *eſt ratio argumentandi ex indiuiduis ad ſpeciem*. Vt, *ſi* Cato *eſt, ergo homo eſt*. Si nec Socrates, *nec* Plato, *nec* Ariſtoteles, *nec cæterorum eiuſdem conditionis hominum quiſquam, uitæ beatitudinem omnibus numeris abſolutam adeptus eſt, ergo philoſophorum nemo prorſum beatus fuit*. Ad hunc locum referenda eſt argumentandi formula, quam à particulari ad uniuerſale uulgo appellant. M. Quid eſt differentia? Bar. Index & communis argumenti nota, quod

A particulari.

Differentia quartus inuentionis titulus.

quod non quidem definitio eſt, attamen cum re præſenti conuerti poteſt: uel quod generi adiunctum rei probandæ definitionem abſoluit. Hinc igitur argumentum duxeris, ſi ad hominis comprobationem adhibueris, rationis fandiq; compos. Hæc enim uerborum cõplexio, & cum homine conuerti poteſt, & animali adiuncta, hominis definitionem perficit. M. Cæterũ quia & uera rei cuiuſq; differentia, raro nobis ſuppeditat, & in commẽticia ea præſertim, quæ ex plurium uocum circuitione efficitur, facilis lapſus eſt: dic ſodes, quæ legitima perfectaq; habenda ſit? B. Quod ad fidei rationẽ pertinet, omnibus expleta numeris exiſtimanda eſt differentia, quæ rei præſenti, & ſoli, & ſemper, & in uniuerſum competit. uel, ut ſemel dicã, quæ cum re præſenti conuerti poteſt. M. Quæ eſt hinc argumentandi formula? B. Eadem prorſum, qua ex finitione colligitur definitum. Nam à differentia æqualiter infertur & remouetur ſpecies quam conſtituit. Poſita enim differentia infert, remota aufert ſpeciem. Vt, ſi ratione utitur, homo eſt, Si uolatile nullum eſt, ergo nec auis. Eadem probandi neceſſitudine à ſpecie ad differentiam argumentum depromitur. Deinde ad generis comprobationem uis eadem eſt differentiæ, quæ ſpeciei, quam differentia cõſtituit. Vt, ſi uolatile eſt, ergo animal eſt. M. Proprium quò refers? B. Ad differẽtiæ titulum. Nam in argumentandi ratione, eandem utrũq; uim obtinet. Vt, ſuum cuiq; tribuit, ergo iuſticia præditus eſt. Si in differendo turpiter hallucinatur, di

Perfectæ differentiæ notio.

Formulæ argumẽtandi ex differentia.

Proprium.

alectici nomine haud quaq̃ donandus eſt. M. Totũ quid in præſentia uocas? B. Eius argumenti indicẽ, ad cuius integritatem res in quæſtione poſita, tanquã membrum quoddã requiritur. Vt, ſi manũ interituram eſſe cõfirmes, quod corpus ſit caducum. M. Quot ſunt totius formæ? B. Plures ſane, Primo enim bifariam diducitur, nimirum in id quod ſenſu percipitur, ut corpus, & in id quod intellectu cõprehenditur, ut eſt animus. Deinde aliud ſubſtantiæ, aliud accidentis ſtatuitur. Rurſus quod accidentis eſt, uel ad quantitatem refertur, uel qualitatis, uel actus cuiuſpiam intelligitur. Sunt qui plures totius diuiſionis cõplectantur, quas, ut accuratius perſequamur, noſtri inſtituti ratio minime poſtulat. M. Quæ igitur eſt huius indicis formula? B. A toto inferuntur partes, non remouentur, niſi acceſſione aliqua facta. Vt, homo eſt, ergo ex corpore & animo conſtat. Si toti homini à natura proſpectum eſt, perinde animo atq; corpori ſua à natura ſunt attributa commoda. Totius domus tutela bono patrifamilias commiſſa eſt, ergo ſeruorum quoque & ancillarum rationem habebit. Domus perfecta eſt, igitur ex fundamento tecto & parietibus conſtat. Mi. Totius ratio expedita eſt, ſed partes quas uocas? Bar. Indicem argumenti, quod ad rei præſentis naturam, aut conſtituendam, aut explendam, requiritur. Vt, ſi corpus humanum perpetuum eſſe neges, quod caput, thorax, cæteráque membra corruptioni ſint obnoxia. Mi. Eſt ne partium aliqua uarietas, quæ ipſis cum toto non ſit communis.

Totũ, quintus inuẽtionis titulus.

Formulæ argumentãdi à toto.

Partes, ſextus inuenti onis titulus

communis? Ba. Eſt profecto. Aliæ enim principes ſunt, & totum de proximo cōſtituunt. ut, hominis ſunt partes, corpus & animus: aliæ ſecundariæ quaſi & remotiores, quæ rei conſtitutæ partes ſunt, eámque explent. Sic caput, thorax cæteráq; corporis membra, hominis partes dici queunt. Nos autem meminerimus principibus atque proximis in diſſerendo eſſe utendū. In his enim plus quàm in illis fidei ponderiſq; ineſt. M. *Quæ eſt ratio argumentandi à partibus?* B. *Remotis partibus principalibus, remouetur & totum, iiſdem tributis, colligitur. Vt, meis impenſis iactum eſt fundamentum, educti parietes, ſuperinductum tectum, ergo meis ſumptibus conſtructū eſt ædificiū. Qui poſſum eſſe ſanus, qui nec animo nec corpore ualeam? Qui logicen, phyſicen, & ethicen noticia complexus eſt, totius philoſophiæ gnarus cenſendus eſt. Legum hic adoleſcens, & morum, & æquitatis pertiſſimus eſt, merito igitur iuris conſultiſſimus habetur.* M. *Materiā & formam quò refers?* B. *In hos argumenti indices, quos à partibus appellauimus. Nam cuiuſq; rei ſiue à natura ſiue ab artis miniſterio proficiſcatur, partes ſunt materia & forma, quibus tributis infertur totum, ac remotis, aufertur. Vt, ex corpore & animo rationali cōſtat, ergo homo eſt. Quod nec anima nec corpore prædità eſt, animal eſſe non poteſt.* M. *Eſt ne alia quoq; materiæ formæq; ratio?* B. *Eſt utiq;, nam ex ſingulis ut ex cauſis ad colligendos affectus ducitur argumentum. Atq; hæc facultas certis quaſi legibus definita eſt.*

Formulæ argumenti à partibus.

Materiæ et formæ in argumentando uſus.

M. Quibus cedò? B. Sublata materia, effectus neceſ
ſario aufertur. Tributa hac ipſa, poteſt conſequi effe=
3 ctus, ſi cauſa efficiens idonea cōtigerit. Deinde mate=
riæ ratio ad effectus æſtimationē permultū confert. Iā
forma denegata, neceſſe eſt uſū quoq; deſiderari; qui
ab ipſa forma proficiſci ſolet. Huius præceptionis no=
bis ſingantur exempla. Pannū mihi nullū ſuppeditas
unde ueſtem conſarciam? Qui ferrum domi habuerit,
eum tu negas gladios cudere potuiſſe? Malitioſus eſt,
non ſyncerus uenditor, ut qui pluris indicauerit tibi ſtā
nea pocula, quàm quāti ego argentea emerim. Ac mul
4 tum ſæpenumero commendationis rebus ipſis á mate=
ria accedit. Iam à forma in hunc modum colligitur ar=
Forma. gumentum. Qui ſana mente præditus eſt, eum tu negas
poſſe ſapere? Nunquid eum uolaturū exiſtimas, cui na
tura alas denegauerit? Deinde ex forma quoq;, perin=
de atq; ex materia res æſtimari ſolent. Vt, tota uia er=
ras, qui brutum præfers, ei quod ratione præditum eſt.
Non omnē Verum hoc loco mihi in mentem uenit, quod ſæpe ad=
x inuentio monuit præceptor, haud poſſe omnem ex communibus
s titulis his titulis argumentandi rationem, certis legibus com=
rgumētan prehendi, ſed uiam aperiri poſſe ſtudioſis adoleſcenti=
usum bus, ad quam qui dicendi ſcribendiq; uſum adiunxe=
ertis legi= rint, eos ſuo Marte, cætera facile perſpecturos eſſe.
us poſſe Hoc nobis, quoq; in reliquo ſermone placeat, ne ſi om=
iri. nia certis rationibus complecti conabimur, bifariam
peccemus, ut & rem ſua amplitudine prope infinitā,
paucis regulis fruſtra definire tentemus, & cum ſum

matim

matim quædam repetere inſtituerimus; plura etiam cō plectamur, quàm à præceptore nobis tradita ſint. Mi. Ad reliqua igitur accingamur, Coniugata in hac diſciplina quæ uocant dialectici? B. Indicem argumenti, quod cum re probanda ſub unum ueluti iugum deuinctum eſt. Vt, ſapere in laudibus numeratur, ergo ſapientia quoq; laudē meretur, Coniugata ſunt ſapere & ſapientia. M. Quot ſunt genera argumētorum, quæ ex hoc inuentionis indice depromuntur? B. Duo, quod ad inueniendi diſciplinam attinet. Aut enim uoce pariter & ſignificato cum re præſenti deuincta ſunt, ut, cū iuſtitia iuſtus, & iuſte facere: aut ſenſus quidem at non uocis & inflexionis ſimilitudine, cum quæſtione conſentiunt, de quibus recepta loquendi conſuetudo in conſilium adhibenda eſt, ut rite accommodentur. Sic uirtuti ſenſus coniugatione probus, uel ſtudioſus, & ſtudioſè facere probéq; agere, ſomno dormiens, & dormire coniuncta ſunt. M. Quæ eſt hinc argumentādi formulæ? B. Coniugata mutuas in probando operas tradunt. Quare hinc tum affirmatiue, tum negatiue in rē præſentem argumentū ducitur. Affirmatiue, ut ſi philoſophia tātopere laudatur, erit & philoſophus aliquo honore dignus. Si nihil turpius eſt ingratitudine, turpiſſime facere exiſtimandi ſunt, qui nullā pro accepto beneficio gratiam reponunt. Si utilitati ſemper antepo nenda eſt honeſtas, pluris faciendus eſt is, qui honeſtate omnia metitur, quàm qui ſui emolumenti cauſá omnem actionem ſuſcipit. Negatiue in hunc modum, forti

Coniugata ſeptimus inuentionis titulus.

Diuiſio Cōiugatorum

Formulæ argumentādi à coniugatis.

tudo à iuſtitia nuſq̃ ſegreganda eſt, ergo nemo fortis exiſtimabitur, qui non idẽ iuſtus ſit. A nemine niſi peſſimo quoq; magi laudãtur, & tu magiã in laudibus numerãdam contẽdis? Sic & in ſimilibus exẽplis Cõiugata duplicãtur. Porrò non qualitas modo, ſed exiſtentia quoq; rei præſẽtis hinc colligitur aut remouetur, id quod uulgo in hunc fere modũ efferunt: Nomen concretum poſitum infert abſtracti exiſtentiam. Contrà abſtractum remotum aufert concretum. Vt, multi per id temporis audiebantur philoſophi, ergo extabat philoſophia. Nulla unquam uera aſtrologia extitit, ergo nec aſtrologi ueri. Quanquam in hoc argumento, qualitatis item ratio aliqua admixta eſt, eò quod ueri nomen acceſſit. Sub hæc meminerimus, effectam hinc argumentationem, partim eò fere laborare uicio, quod principium repetere uocant Dialectici: partim in communem fidei faciendæ legem peccare, qua ſancitum eſt, ut res in controuerſia poſita per notius explicetur. Nam in coniugatione utrumq;, & argumentum, & res colligenda, ex æquo uel nota uel ignota ſunt. M. Quid porrò de coniugatis annotatu dignum exiſtimas? B. Nihil admodum, niſi exempla cum coniugatis arctiſſima quaſi affinitate eſſe coniuncta, adeo ut hoc fere ſolum interſit, quòd in coniugatis idem propè nomen paulò deflexum repetitur: in exemplis quidem non idem nomen, ſed in eius locum aliud ſufficitur, in quo eadem ineſſe uis intelligatur. Vt, ſi tyrannida periculoſam eſſe doceas, quòd Dionyſio, Tarquinijs, cæteriſq;

Vitia argumentorum à cõiugatis

Exemplorũ & cõiugatorũ affinitas.

id ge

id genus principibus exitio fuerit. hic Dionyſius, Tarquinij, cæteriq; eiuſdem farinæ principes, in tyranni locum concedunt, quod nomen, ſi ad tyrannida referatur, coniugatum eſſe nemo dubitauerit. Verum hæc nobis in præſentia ſufficiant, cætera nos & uſus & exẽplorum obſeruatio docebit, & confirmabit. M. *Deſcriptis itaq; titulis ijs, qui huiuſmodi argumenta differenti ſuggerunt, quæ interna quadam & ſubſtantiali cognatione, quæſtionem propoſitam attingunt: uis ne ad eos accingamur, quos circa ſubſtantiam antea nuncupaſti?* B. *Volo equidem, nam id ordinis ratio poſtulat.* Mi *Quos igitur inuentionis titulos circa rei præſentis ſubſtantiam uerſari dicis?* B *Qui indicant argumenta, quæ tametſi rei propoſitæ inſunt, tamen ſubſtantiã eius nulla certa neceßitudine attingunt.* M. *Quas huic generi partes ſubijcis?* B *Adiacentia, Actus, & Subiecta.* M. *Adiacẽtia quæ uocas?* B. *Indicẽ argumẽti quod modũ quendã ſignificat rei præſenti inexiſtentẽ, quo ipſa aliquid aliud q̃ ſecundum ſubſtantiæ ſuæ rationem appellatur. Breuiter huius fere generis erunt, quatenus ad ſubiectum referentur, quæ in tribus accidentium prædicamentis cõplectũtur dialectici, in quantitate in qualitate & in eo quod* πρός τι *uocat* Ariſt. *Ex his enim omnibus ad ſubiecti uel laudem & uituperium, uel exiſtentiam colligitur ratio.* M. *Quæ igitur eſt in illis omnibus ſpectanda conditio?* B. *Quæ adiacentia quibus rebus, quatenus inſunt. Inſunt enim alia corporibus inanimatis, alia animatis. Deinde alia brutis*

De titulis argumentorum quæ circa ſubſtantiã ſũt rei probandæ.

Adiacentia .s. inuentionis titulus.

Adiacentiũ uarietas.

alia homini tribuuntur. Atq; ex his quædam ſingulorum generum propria, alia communia ſunt. Deinde quædam inſunt rebus à natura, quædam præter naturā. Hæc ſimilia perſpexiſſe ſatis fuerit, quod ad huius indicis uſum & facultatem pertinet. Reliqua enim adiacentium uarietas, partim ad cõnexorum, partim adcontingentium titulos conferenda eſt. In ijs enim non fere alia eſt inuentionis materia, ſed diuerſa accõmodandi ratio. M. Quis igitur eſt hinc argumentandi modus? B. Tributis adiacentibus, infertur ſubiectum. Vt, ſi confirmas mortuos eſſe miſeros, ergo mortui ſunt. Si Minos apud inferos iudex eſt, ergo Minos eſt. Si pigmæi ſũt cubitali ſtatura, ergo pigmæos eſſe cõſequitur

Formula argumẽtandi ab adiacentibus.

4 Deinde adiacẽtia laudata uel reprehẽſa, ſubiecti quoque uel laudem uel uituperium inferunt. Vt, ſi uirtus ſummis laudibus effertur, erit & animus, in quo hæc efficitur, non infima laude dignus. Meritò laudatur Smaragdus, ob facultatem qua impudicitiam coarguit. Atq; hæc fere eſt huius ordinis uarietas, quòd ad argumẽtandi uſũ ſpectat. Nam in deſcribendis rebus accuratius hic locus perſequendus eſt, & ex tribus, quæ iam diximus, prædicamentis, copioſè locupletãdus. M. Actus quos appellas? B. Inuentionis titulum, qui argumentũ huiuſmodi oſtẽdit, quo res propoſita aliquo modo exerceri afficiq; dicitur. Vt, ſi Aeneam fuiſſe hinc cõfirmes quod cum Turno bellum geſſerit. Mi. Quæ eſt actuum partitio? B Eadem fere quæ adiacentium, niſi quod, præter omnem adiacentium uarietatem, in hunc quoq; modum

Actus, nonus inuẽtionis index

modum diuiduntur actus, ut alij operis aliquid ex ſe producant, ut texere, pingere, ædificare: alij intra ſemetipſos conſumantur, operisq; nihil extra ſe proferant: cuius generis duplex rurſus cõditio eſt, alijs enim finis propoſitus eſt, ut ſtudere, ambulare, dormire, & id genus cõſimilia: alij fine carent, aut in proſpectu certe finem non habent, ut gaudere, iraſci, ægrotare. Atq; meminerimus, quædã nominis tantum figurã, actus rationem præferre, cum re ipſa adiacentia ſint, ut albere & ſcire, quæ candidum eſſe & ſcientem ſignificant quædam contrà; adiacentium præ ſe ferre ſimilitudinem, re ipſa uerò actus ſignificare. Qualia ſunt, pugna, curſus, iurgium, hisq; conſimilia, quæ non ſine motu & agitatione quadam ſe animo exhibent. M. *Sunt ne omnes actus huius claßis?* B. *In deſcribendis rebus poterunt omnia actus ratione cenſeri, quæcunq; ad rẽ propoſitam relata, in actione & paßione, duobus prædicamentorum ordinibus Dialectici numerant: Verum ſi, quæ huius tituli eſt, argumentandi rationem ſpectes illi tantummodo actus huius ordinis erunt, quæ accidentis appellatione in prædicabilibus, quæ uocant, Dialectici complectuntur. Proprij enim actus, qui de re præſenti conuerſim dici queunt, ad differentiæ ſeu proprij indicem conferendi ſunt.* M. *Quæ eſt hinc argumentandi formula?* B. *Actus tributi, ſubiecta & adiacentia, à quibus profecta ſunt inferunt. Vt, ſi pigmæi in grues pugnant, ergo pigmæi ſunt. Magnes ferrũ attrahit, ergo ſingulari quadam facultate præditus*

Formulæ argumẽtandi ab actibus.

eſt. Poſteriore colligendi genere frequẽter utuntur & medici & philoſophi in diſputationibus phyſicis. Deinde actus perinde atq; uis omnis adiacentium, ad ſubiecti commendationem & uituperium permultum contulerint. Ideoq; generis utriuſq; uarietas, in rerum deſcriptionibus & in eo cauſarum genere quod demonſtratiuum appellant Rhetores, diligenter perſequenda eſt. M. Iam ſubiecta quæ uocas? B. Indicem argumenti, cui id quod in controuerſia poſitum eſt, tanquam receptaculo uel innititur, uel accedit, ut ſi uirtute in quæſtionem uocata, hinc uelis argumẽtum depromere, animus humanus tibi in medium afferendus erit. Eſt autem duplex ſubiectum, quod ad hunc locum attinet, unum in quo uel adiacens uel actus ineſt: ſic ignis, caloris ſubiectum eſt: alterum, in quod uel actus proficiſcitur, uel adiacens transfertur, hoc pacto aqua igni admota, caloris ſubiectum exiſtit. Quæ quidem uarietas in idem ferè recidit, cum illa partitione, qua uel actus uel adiacentia in natiua, & accedentia diuidun tur. M. Quis eſt hinc argumentandi uſus? B. Remoto ſubiecto, remouetur tam adiacentis quàm actus exiſtentia: ut, qua fronte mortuos contendis eſſe miſeros, quos nullos eſſe confirmaueris? Qua impudentia conquereris, hoſtẽ agros tuos depopulatum, qui agrũ nullum habes? Fundos habet nullos, ergo non eſt quod fundi calamitatem metuat. Mentẽ non habet, ergo nec uirtutem. M. Obiecta quæ uulgò dicuntur, cũ ad ſenſum referuntur, quò cenſes referenda? B. ad efficientia

Subiecta, dicimus inuẽtionis titulus.

Formula ex ſubiectis argumentandi.

Obiecta ſenſus.

tia, formæ enim ſenſibiles ui ſua excitant ſtriuncq; ſenſum, id quod efficientiũ rationi proprie cõpetit. Eodem *quoq; rerũ intellectiuarũ imagines noticiaq; ſpectant, quæ à ſenſu in mentẽ profectæ, intelligẽdi uim euocatã, ad ſui cognitionẽ inuitãt.* M. Expedito internorũ tra*ctatu, ad externorũ argumẽtorũ indices accingamur. Primũ itaq; definitionem requiro, quosnã externos titulos appellas?* B. Hos uoco indices argumẽtorũ, *quæ ex terna quadã ratione quæſtionẽ propoſitã attingũt.* Ac *diuidũtur in quatuor iſta genera, in* Cognata, Applicita, Accidentia *&* Repugnãtia. M. *Quæ dicũtur cognata?* B. Indices *argumentorum, quæ foriſecus quidẽ rem præſentẽ circũſtant, attamẽ neceſſario quaſi cognationis uinculo ei deuincta ſunt.* Diuidũtur *autem in cauſas et euẽta. Porro ex cauſis materia et forma inter partes cõnumerantur, quæ rei cuiuſq; ſubſtãtiã explẽt. Efficiẽs aũt et finis in inueniendi diſciplina, cauſarũ nomine ueniũt. Cõſimiliter euẽtorũ duo tantũ genera hoc loco cõtinẽtur, effectũ & deſtinatũ.* Quibus *ſic conſtitutis de ſingulis ex te quærã. Quod igitur uocas efficiẽs?* B. Indi*cẽ argumẽti, quod ei, de quo cõtrouertitur, efficiẽdo, af ficiẽdoq; prebet operã.* Hinc *itaq; argumẽta erũt deducta,* Nihil *eſt iudices, quæ dubitetis Aiacẽ ab* Vlyſſe *interfectũ eſſe, quæ hoc et uoluit et potuit* Vlyſſes. *Nõ caret hæc tabula ingenio, quoniã à* Durero *expreſſa eſt.* M. Quot *modis efficiẽtia diuidũtur?* B. Pluribus *ſane, quos in præſẽtia quatuor generibus diſtinguã.* Ex quibus pri*mũ eſt, quo efficiẽtiũ alia neceßitate quadã, alia arbitrio*

De externorũ argumẽtorũ titulis

Diuiſio externorũ locorum.

Efficiẽs. ii inuentionis titulus.

Diuiſio efficientium.

agere dicuntur, ut homo & ex brutis nonnulla. Rurſus quæ neceßitate agũt, alia ſua ſponte & proprio naturæ conatu agũt: ſic ignis caleſacit, helleborũ purgat: alia ui ſibi extrinſecus intorta agũt. Sic aqua calefacta, manum ſibi inſertã adurit, Globi tormentis extorti, mu-
2 rum feriunt. M. Quod eſt alterum genus diuidendi efficentiæ? B. Quo alia imperantia & præcipua intelliguntur, ut architectus, ex cuius præſcripto ædificium extruitur: alia obſequẽtia & præcipuorum miniſterijs addicta ſunt. Poſterioris generis, duplex rurſus cõditio eſt. Nam quæ aliorum uſibus & miniſterijs inſeruiũt, alia agendi ſunt inſtrumenta, ut mallei, ſecures, cæteráque id genus ſimilia, quibus materia opusq; pertractatur. Alia in agendo cernuntur, ipſaq; operis aliquid efficiunt, ut in extruendis ædibus omnis fabrorum & operariorum turba. M. Tertia diuiſio quæ numera-
3 tur? B. Qua efficientium partim natura, partim arte & conſuetudine, partim quaſi fortuna ſpectantur. M.
4 Quis eſt modus poſtremus diuidendi efficiẽtiæ? B. Quo in ſtabilia & conſtantia, & mobilia inconſtantiaq; diducuntur. Quanquam autem duæ poſteriores diuiſionis formulæ, in priores diſtribui poßẽt, tamen quo res magis eſſet in aperto, ſeorſim eas pertractare libuit. Omnis enim hæc uarietas, rationis aliquid uſuſq; ad diſſerendum confert. M. Quibus legibus efficientium uſus definitur? Ba. Pluribus profectò, ex quibus pauca delibauimus, cæteras enim exercitatio, & dicendi ſtudium, aperiet. M. Quas igitur numeras, hinc argumen

Formulæ ab efficientibus argumentandi.

tandi

tandi formulas? B. Cauſis neceſſarijs, ſi quidem ad agē 1
dū ſufficiunt, affirmatis, inferuntur effecta: remotis iiſ-
dē, auferūtur. Vt, ſi cādētes in manu carbones deporta
ueris; manū aduſſeris. Subita morte concidet, quia præ
ſens hauſit uenenū. Deinde ex efficientibus quæ natu-
ra agunt, q̄diu admota ſunt materiæ ſibi accomodatæ
non ſuſpendunt actionem. Sic ignis quandiu admotus 2
eſt ſubiecto ſibi conuenienti, neceſſario producit effe-
ctum. Iam in cauſis arbitrarijs utrumq; requiritur, ut 3
poſſint & uelint agere, quibus comparatis effecta con
ſequūtur, ut Aiacem & potuit & uoluit Vlyſſes inter
ficere, ergo Aiacem á nemine præterquam ab Vlyſſe in
terfectum arbitrabimur. Sub hæc à cauſis ſtabilibus ea 4
dē prope effectorū ratio proficiſcitur. Contrà, à cauſis
inconſtantibus nihil magnopere certi de effectis col-
ligi poteſt. Iam efficientis dignitas ad effecti æſtimatio 5
nem permultum contulerit. Vt, honeſtum eſt matrimo-
nium, quoniam id deus primus inſtituit, & Chriſtus
miraculorum primitijs conſecrauit. Precioſa eſt tabu- Annotatio.
la, quoniam Apelles eam depinxit. Hinc eſt ut in con-
muni uita pro efficientium conditione, modo laudentur
modo uituperētur, modo puniantur, modo excuſentur
facta. Huc enim pertinent philoſophorum & iuriſcon-
ſultorum diſputationes, de delicto uoluntario, & inuo-
luntario, ut ebrius iſta commiſit, ergo aliquid de ſuppli
cio remittendum eſt. Capto prius conſilio patriam libe
rauit, ergo præclare fecit. His accedunt & aliæ condi- 6
tiones, ut efficientia naturalia naturalem producunt ef

ſectum, artificialia, ea quæ artis ratione continentur. Poſtremo id quoq; faciendum diligenter, ut inter cauſas principes & miniſtrantes, proximas & remotas diligenter diſtinguatur. Reliquam uarietatem ſubſcribendi dicendiq; conſuetudo nos facile docuerit. M. *Quem hic finem appellas?* B. *Inuentionis titulum, qui argumentum indicat huiuſmodi, cuius miniſterijs uſibusq; res probanda deſtinata ſit, ut, ſi equum commendes, quod eius in bello ſit uſus neceſſarius. Hinc de prompſeris argumentum.* M. *Quæ eſt finium uarietas?* B. *Eadem quæ bonorum quorum rationem naturamq; fines obtinent. Ideoq; philoſophi cum de bonorum delectu, & inter ſe ordine diſſerunt, rationem finis diligenter pertractant, quod hac rite conſtituta, in promptu ſit omnem de moribus diſciplinam naturæ conuenienter deſcribere.* M. *Accipio equidem omnem de finibus diſputationem, latiſſime in omnem uitam patere, ſed tamen ex magna uarietate aliquid excerpe, quod inſtituto præſenti inſeruiat.* B. *Tribus itaque modis finium ratio atque diuerſitas conſtitui poteſt. Primo in ſingulis rerum generibus, & non in tota omnium natura. Quo quidem pacto ſic uti bona alia per ſe expetūtur, & ultima habētur, ad quæ cætera referuntur omnia, alia quodammodo media ſunt, conferuntq; adipiſcendis ultimis: ita fines alij ſunt poſtremi, qui per ſe expetuntur, ut eſt ſtatus cuiuſque rei in ſuo genere perfectiſſimus. Sic ignis ſumme calidum, & ſiccum eſſe: hominis ipſa uitæ beatitudo*

Annotatio.

Finis, 12. inuentionis titulus.

Diuiſio finium.

do

do ſupremus finis eſt: alij ſupremo fini conſequendo uſus & adiumenti aliquid conferunt. Vt cibus, potus, ueſtis, quæque cætera humanis neceßitatibus inſeruiunt. Deinde finium ratio ſic iniri poteſt, ut cuncta quæ mundo continentur, tanquam in unam claſſem ordine quodam reponantur. Qua quidem uia, ultimus & præſtantißimus rerum omnium finis, reperietur Deus Optimus Maximus, cuius miniſterijs uniuerſa rerum creatura addicta ſit. Vbi id annotandum eſt, ex ijs rebus quæ ordine quodam ſupremo fini adipiſcendo deſtinantur, alias præſtare alijs, prout cuiuſque natura atq; conditio, ſit minus magisúe conſummata. Quod quidem in omni actione ſuſcipienda diligenter conſyderandum eſt. Nam ex ijs finibus, qui medio quaſi agmine collocantur, ut quiſque ultimo proximus eſt, ita cæteris quoque præſtat maxime. Iam unius rei fines plures eſſe poſſunt, ordine quodam conſtituti. Sic belli fines ſunt, medij quidem hoſtis profligatio, & uictoria: ultimus autem, pax & Reipublicæ incolumitas. Poſtremo, ut bonum, aliud honeſtum, aliud utile, aliud iucundum eſt: ita finium quoque alius honeſtate, alius emolumento, alius iucunditate ſpectatur. Atque hæc ferè eſt finium ratio atque uarietas, quam ſi in diſſerendo conſyderabimus, maxima nobis hinc orationis copia ſuppetet. Michael. Quæ igitur eſt ex fine argumentandi ratio? Barthol. Amplißima profecto, adeo ut paucis legibus definiri nequeat. Tamen

Plures unius rei fines eſſe poſſunt

Formulæ ex finibus argumentandi.

ut exercendi quaſi initia habeamus, licebit certas quaſi
1 *leges figere. Cuius igitur finis bonus eſt, hoc ipſum quo que bonum æſtimabitur, & contrà. Vt medicina bona eſt, quandoquidem ſanitas. Comedere non eſt impium, quoniam nec uiuere. Legitimum bellum non eſt dãnandum, qnoniam non uituperatur honeſta uictoria.*
2 *Deinde qui finem expetit, non refugiat quod ad finem deſtinatur, & contrà, ſi quis finem oderit, illa fugiat quæ finis conſequitur. Hæc formula in ſuaſionibus & cohortationibus magnum habet uſum. Vt, uxorem ducito, ſi quidem animus eſt procreare liberos. Qui uitæ beatitudinem expetit, non ſit à uirtute alienus. Qui frigora propulſare ſtudet, is bene ueſtiat. Nauigare*
Annotatio. *cõuenit, igitur & naues parandæ ſunt. In his omnibus argumentum ducitur ex fine ad rem deſtinatam. Reliquam iſtius claßis uarietatem uſus ſcribendi & diſſerendi conſuetudo nos docebit.*

Effectus. 13 inuentionis titulus. *M. Expeditis cauſis ad euenta nobis accedendum eſt. Quid igitur appellas effectum? B. Inuentionis titulum, qui index eſt huiuſmodi argumenti, quod ab efficacia uel induſtria rei, in quæſtionem uocatæ, profectum eſt. Vt, probè ſuæ artis gnarus eſt, quoniam eam tabulam ingenioſißime depinxit. M. Quæ ſunt argumentandi leges? B. Poſito effecto, neceſſe eſt efficiẽs eius propriũ adeſſe, aut*
Formulæ ab effecto colligendi. *certe adfuiſſe. Vt, paßim reperiuntur cæſa cadauera, ergo hic graſſantur percuſſores nocturni. Intumuit & ſubita morte concidit, ergo uenenum hauſit. Grauida*
Annotatio. *eſt, ergo cum uiro concubuit. Hic cauendum, ne ab effe-ctis*

ctis improprijs efficientia colligantur. Alioqui enim argumentum ad contingentia reciderit, ut macilentus eſt, igitur ex morbo laborauit. Pallet adoleſcens, ergo amoribus implicitus eſt. Interim remoto effecto remouetur & efficiens, id præſertim, quod neceßitate quadam agit. Vt nec ſpirat, nec mouetur, ergo non uiuit, ſed mortuus eſt. Nihil uideo, ergo nondum lux eſt. Senſus enim effectorum naturam, formæ ſenſibiles efficientium conditionem ſequuntur. Deinde ab effectis dignitas, laus & uituperium efficientium colligitur & remouetur. Vt armorum neceſſarius in Republica uſus eſt, ergo qui iſta conficiunt, non ſunt è ciuitate exigendi. Aedificium non probatur, ergo nec architecti induſtria laudanda. Cædes in Repub. non eſt ferenda, ergo minime ignoſcendum eſt percuſſoribus nocturnis Si Veneris imago tantopere laudatur, ergo Apellis laudandum ingenium, qui eam depinxit. Si adulterium res fœdißima eſt, omnibus ignominijs notandi ſunt mœchi. Quanq̃ hoc, & huic conſimilia exempla, non male ad coniugata retuleris, à quibus tenui admodum diſcrimine remota ſunt. M. Deſtinata quæ uocas? B. Indicem argumenti, quod rei præſentis uſui ac miniſterio addictum eſt. Vt, ſi in quæſtionem ueniat, ecquid uim depellere liceat, argumentum hinc ducetur, quod gladium ferre liceat. Hic gladius propulſandæ iniuriæ deſtinatur. M. Quæ eſt huius indicis formula? B. Quæ deſtinato competunt, eadem fini quoq; tribuentur & contrà: Quæ à deſtinato remouentur, à fine quoq;

Annotatio.

Deſtinata 14. argumẽti index.

Formulæ deſtinatorũ

ſunt remouenda, ſiue ad boni, ſiue ad iuris, ſiue ad laudis uel uituperij rationem pertineant. Vt ſi conceditur gladium ferre, licebit & uitam tueri. Si uictus comparādus eſt, licebit & famem ſedare. Si habendæ ſunt ueſtes, ergo ipſis indui conceditur. Si non eſt impiū cōſcribere exercitus, ergo nec bellū gerere. Hinc quoq; naſcetur cōparationis formula, quam à minori appellant. Vt ſi uirtus tantopere laudatur, quid de beatitudine ſtatuendum eſt, cui omnis uirtutis ratio addicta eſt? Poſtremo id quoq; nobis intelligendum eſt argumētum à contingentibus appellandum, ſi ex non proprijs aut non neceſſarijs, uel deſtinatis, uel effectis, ad conſtituendam aut remouendam cauſam argumentabimur, hoc modo. Conflantur bombardæ, ergo bellum inſtat. Diues eſt, ergo ſuperbus. M. Pertractatis ijs argumentorum titulis, quæ cognata dicūtur: deinceps applicita quæ uocas? B. Eos inueniendi indices, qui argumenta ſuggerunt huiuſmodi, quæ uel rem propoſitam complectantur, uel actus eius cōmenſurent, uel certa quadam ratione illi nomen impartiantur. M. Quot huic generi ſubijciuntur partes? A. Tres, ut locus, tempus & cōnexum. M. Quem hic locum definis? B. Titulum argumenti quod rem cui probandæ adhibetur, certa uel incerta ſpacij differentia complectitur. Vt ſi neget ſe Clodius bonæ deæ ſacris interfuiſſe, quod per id temporis Interamnæ fuerit. Hic Interamna, in argumentum aſſumitur, & Clodium certa ſpacij differentia complectitur. Huc fere ſpectant, quæ ad quæſtionē ubi de re præ-

Annotatio. *Applicita.* *Locus. 15. inuētionis titulus.*

ſenti

ſenti factam, apte reſpondetur. M. *Vnde ſumuntur locorum differentiæ?* B. *Partim ab ipſorum ſubſtantia partim ab his, quæ ipſis accedunt.* M. *Prioris generis quæ ſunt formæ?* B. *Hic iſtic, ibi, illic, ante, ponè, à dextris, à ſiniſtris, et id genus conſimiles rationes. Huc pertinent locus diſtans, uicinus, amplus, anguſtus, ſublimis & humilis.* M. *Quotuplicia ſunt quæ locis accedũt?* B. *Duplicia, Natiua & fortuita.* M. *Quæ à natura proficiſcuntur?* B. *Huiuſmodi rationes, quibus locus dicitur maritimus, mediterraneus terreſtris, aerius, aquoſus, inaquoſus, planus, iniquus, aſper, leuis, occultus, conſpicuus, opacus, apricus, pellucidus, obſcurus, ſaluber, peſtilens, cæteraq; ſimilia, quæ rei ruſticæ ſcriptores & medici ſtudioſe perſequuntur.* M. *Quæ locorum diſcrimina appellas fortuita?* B. *Quæ hominum induſtria aut opinione, locis accedunt. Qualia ſunt locus cultus, incultus, celeber, deſertus, ædificatus, uaſtus, publicus, priuatus, alienus, noſter, ſacer, prophanus, pudendus, honeſtus, nobilis, obſcurus. Plura eiuſdem ordinis nobis ſuppeditabit uſus. Iam domi eſſe, ruri, peregre, in foro, in urbe, in prouincia, in regione, quæq; cætera ad quæſtionem reſpondentur, in hanc claſſem conferenda ſũt. Omnis enim huius tituli inuentio, ex eo decem prædicamentorũ genere depromitur, quod ubi appellant Dialectici.* Mi. *Quis huius tituli in argumentando uſus?* Bart. *Haud facile eum certis legibus deſcribi ſpero, latiſſime enim in omnem prope diſceptationis formam diffunditur, ueruntamen ne uel eo-*

Loci uarietas.

Formulæ colligendi à loco.

rum parum meminiſſe, quæ à præceptore accepi, uel in hac materia rudis tibi uidear, ex magno quaſi rerum aceruo, quædam eximam tanquam argumentandi præcepta, ex quibus cæterorum item rationem con-
1 *ijcere liceat.* Primum itaq; ſummuntur hinc rationes in laudandis uituperandisq; tum rebus tum perſonis. *Vt, piſces in ſaxis capti ſunt, ergo ſalubres. Pluris tibi hos paſſeres uendam, quandoquidem in montibus eos cepi. Athenis ſtuduit, ergo philoſophiam tenet. Vani ſunt teſtes, quoniam Græci ſunt. Maximo mihi indicabat ædes*
2 *quòd ad forum eſſent ſitæ.* Deinde ad capienda conſilia & tractandas deliberationes loci conditio non parum confert momenti. *Vt, non facile bello ſuperari poteſt Lubeca, quoniam ciuitas eſt maritima. Obſideri poteſt ciuitas, quia in campi planitie ſita eſt. Nolim iſtic tibi*
3 *ædes conducas, nam locus parum honeſtus eſt.* Sub hæc facti coniectura ſæpenumeero à loco colligitur & remouetur. *Vt, qui poteſt illic cædem feciſſe, ubi nunquã fuerit? Inhoneſtis amoribus implicitus eſt adoleſcens,*
4 *quoniam frequenter ad lupanaria conſpicitur.* Deinde loci conditio crimen ſæpenumero aggrauat, aut ſubleuat. *Vt, minus turpe fuiſſet Antonium domi quàm in tribunali uomere. Atrox eſt Milonis facinus, quod Clo-*
5 *dium in maiorum monumentis interfecerit.* Poſtremo facti quoq; nomen mutat loci qualitas. *Vt, rem ex æde ſacra ſubducere, ſacrilegiũ eſt: de prophano loco ſurripere, furtũ dicitur.* Cæterũ id nobis annotãdũ eſt, non
Annotatio. omnia huc eſſe cõferenda exempla, in quibus loci aliqua

mentio

mentio fiat. Nam quod nulla probandi ratione ſubnixum eſt, in contingentium titulum non male tranſtuleris, qualia ſunt ex ſuperioribus nonnulla. Deinde ſi in hunc modum argumentere, hic eſt, ergo iſtic eſſe non poteſt. Rhodi eſt, ergo nō Bizantij: alterum ex contrarijs, alterum ex diuerſis erit ductum argumentum. M. Tempus quod appellas? B. Communem inuentionis notam, quæ indicat argumentum, quod rei præſentis uiciſſitudinem actusq; metitur. Hinc itaq; ductum erit argumentum, ſi ita colligas: annum, non amplius in philoſophia conſumpſit, ergo eam perdidiciſſe nequit. M. Quot modis diuiditur tempus? B. Totidem prorſum, quot locus. M. Quæ igitur ex ſubſtantia eius differentiæ ſumuntur? B. Huiuſmodi fere, præſens, præteritum, futurum, uetuſtum, recens, inſtans, paulo poſt. Itē aduerbia nunc, tunc, modo, mox, mane, ſero, cito, tarde, hisq; conſimilia temporis aduerbia. M. Quotuplicia ſunt illa, quæ tempori à natura accedunt? B. Duplicia. quædam ſunt propria eius diſcrimina, ut, dies, nox, annus, menſis, hyems, æſtas, uer, autumnus. Quædam ſunt aeris cœliue conditiones, & ſtatus uarij Vt, tempus ſerenum, nubilum, turbidum, tranquillum, feruens æſtu, & frigore moleſtum, & quæcunq; eundem in modū cōfingunt medici & aſtrologi. M. Quot ſunt genera, quæ ex hominibus tempori accedunt? B. Tria unum ætate cernitur, ut infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuenta, uirilis ætas, ſenectus. Alterum à religione ſumitur, ut, dies feſti & profeſti. Tertium à rebus agendis, &

Tēpus. 15. inuētionis titulus.

Temporis uarietas.

ſtudijs hominum cum priuatis tum publicis. Vt tempore meßis, uindemiæ, arandi, ſtudendi, pacis, belli, famis, ubertatis, conſulatus. Poſtremo huius ordinis eſt, quicquid ad quando ſimilemue quæſtionem, apte reſpondetur: ut à prandio, ſub cœnam, imperante Octauio, ante diluuium. Tempori quoq; ſubijcitur occaſio, cuius formulæ ſunt, tempeſtiuè, intẽpeſtiuè, opportunè, importunè. M. *Quis eſt temporis in argumentando uſus?* B. *Idem fere qui loci, ut exemplis modo aperiam. Temere facit, qui oborta uentorum tempeſtate, nauem conſcendit. Extremi ingenij ciuis eſt, qui in oppugnatione patriæ, bellis inteſtinis dat operam. Impius eſt filius, qui patre animam agente, ſciens conuiuia agitat. Furto ſe obſtringit, qui nocte intempeſta in uicini granarium conſcendit. Nebulo eſt hoſpes, ad quem diuertiſti. Nam cum uxor ex morbo graui decumberet, & domi famulæ ſtuprum intulit, & in uicini cuiuſpiam uxore petulans fuit. Valet autem temporis ratio cum in omni diſceptationis genere ad fidem faciendam, tum ad amplificãdum & ſubleuandum crimen.* M. *Quæ uocas connexa?* B. *Indicem argumenti, quod ita cum re præſenti cohæret, ut ſine ipſa nec eſſe nec intercidere queat. Vel quod rei probandæ nomen impartitur, uiciſſimq; ab ipſa re denominationem recipit. Vt ſi quem patrem eſſe oſtendas, quod natum ex ſe filium habeat. Hic enim pater & filius, alterum alteri, nomen uiciſſim impartitur.* M. *Quot generibus huius tituli argumenta diſtinguuntur?* B. *Duobus, quorum uno cõtinentur, quæ pro*

Temporis in diſſerendo uſus.

Cõnexa. 17 inuẽtionis titulus.

pinqua ſunt, & rem propoſitam quaſi attingentia. Vt altum, humile, mons, uallis, nebuloſum in aere, herbidum in terra, in homine tunicatum, armatum, eſſe cum telo, & id genus cætera, quæ Dialectici *prædicamento habitus complectuntur.* Alteri *generi ſubiacent ea, quæ rem præſentem tanquam de longinquo aſpiciunt, nec tamen ab ea longius diſtracta, nomen amittunt.* Hæc Ariſtoteles *eo prædicamento cõplexus eſt, quod* πρός τι *uocat.* Qualia *ſunt cognationis, affinitatis, cõuictus, collegij, præmiorum, pœnarum, officiorum diſcrimina, cæteraq́; id genus permulta, quæ in omni uita, non à natura, ſed hominum iudicio arbitrioq́; tum rebus tum perſonis, ex certa quadam comparatione tribuuntur.* **Formulæ argumentã di à cõnexis**

M. *Quæ eſt hinc argumentandi formula?* B. *Connexa ea præſertim, quæ* πρός τι *uocat* Ariſtotiles, *ſe mutuo & inferunt & remouent, quod ad exiſtentiam utriuſque pertinet.* Hoc *eſt quod uulgo in ſcholis breuiter aptéque dicitur,* Relatiua *ſe mutuo & ponunt & perimunt,* Vt *diues es, quandoquidem multa poßides.* Diſcipulus *es, qui præceptore uteris. Si me filium negas, non eris mihi pater.* Eum *ne pergis regem uocare, qui regno exutus eſt, & imperatorem, cui abrogatũ imperium?* Quo *ore hunc diuitem appellas, q̃ nihil omnino rerũ poßidet?* Cæterũ *diſcipulus iſta nouit, & præceptori ignota putas?* Filia *meretricatur, quid matrẽ facere exiſtimas?* Gladio *accingitur, ergo uitæ cuiuſpiã inſidiatur.* Hæc *et eiuſdẽ farinæ exẽpla nõ huius ſũt claßis, ſed partim ex cõparatis, partim ex cõtingẽtibus*

partim deniq; ex contrarijs fuerint deducta argumēta. Nā illæ demū argumentorū formæ huc pertinebunt, in quibus relatiua uicißim, eſſe uel non eſſe demonſtrantur. Cum uero in alijs comparantur connexa, non fere huius loci, ſed accidentium alicuius conficitur argumētatio. Vt, ſi domino non pepercit, quid ſeruo faciet? M. Quid? ex prædicamento habitus quæ numeraſti quē habent probandi uſum? B. Ea uix auſim huc referre, quod partim ad contingentia, partim ad coniugata aptiſsime redigi queant. M. Applicita pertractaſti, iam

Accidentia

accidentia quæ uocas? B. Inuentionis titulos, qui argumenta ſuggerunt huiuſmodi, ut nulla neceßitate rem præſentem circumſtent. M. Quot tituli ſub hoc genus recidunt? B. Quinq;, Contingentia, Pronunciata, Nomē rei, Comparata, & Similia. M. Quæ uocas cōtingentia? B. Communem inuentionis indicem, ex quo argumenta ſuppetunt, quæ temere nullaq; certa lege cum quæſtione probanda cohærent: adeo ut ſiue iſta eueniant, res nihilominus, id eſſe, quod uolumus, & ſiue res non ſit huiuſmodi, qualis à nobis arguitur, iſta euenire queant: ut puellà nupſit, quoniam annulis induitur. Hic enim temere cum re probanda cohæret argumentum. Poteſt enim annulis indui puella, ut nemini in matrimonium collocata ſit. Et contrá, nupſiße & nullis indui annulis. Quale fuerit, ſi quis monachum ſtupri coarguat, quod ad ciuis coniugem in lectum conceſſerit. Poteſt enim eò conceßiſſe, uel ut afflictam conſolatione aliqua in aurem confirmaret, uel ut corporis laßitudinem

Contingentia. 18. inuentionis titulus.

nem in ſtratis paulo mollioribus deponeret. M. Sunt ne in hunc titulum conferenda omnia, quæcūq; rei præſenti cōtingunt? B. Minime, ſed illa modo huius ordinis erunt cōtingentia, quæ uelut indagine ueſtigijsq; quibuſdam ad ipſam rem nos quoquo modo perducūt. Ideoq; hunc inuentionis indicem alij à coniecturis, alij à cōmuniter accidentibus appellant. M. Quæ eſt huius loci uarietas? B. Magna profectò. Huc enim recidunt ferè omnia, quæ cum ſuperioribus titulis affinitatis quidem aliquid habent, ſed tamen probandi uſu ab iiſdem differunt. Depromenda eſt igitur huius claßis ſupellex omnis ex ſuperioribus: idq; partim ex actibus & adiacentibus, partim ex cauſis & euentis cōmunibus aut impropijs, partim ex applicitorum indicibus. Quare in rebus ſimplicibus deſcribēdis, hic inuentionis titulus nulli propè uſui fuerit. Verum cum ex eis rebus, quæ per deſcriptionem inuentæ ſunt, argumentandum eſt, latißime funditur, & longe uberrimā diſſerendi copiā ſuppeditat. M. Quot modis diſtinguuntur huius claßis argumenta? B. Duobus, quorū unus deſumitur, pro rerum quæ ſibi inuicem contingunt, uarietate: alter ex tēporis ordine pficiſcitur. M. Quæ differentiæ colliguntur ex rebus ipſis, quæ ſibi mutuo contingunt? B. Hæ propemodum, aut adiacens contingit adiacēti, ut ſenex eſt, igitur auarus. Adoleſcens, igitur prodigus. Aut adiacens tribuitur actui, ut, pallet, igitur amat. Macilētus eſt, ergo ſtudijs multū inuigilat, Aut adiacens connexo probando tribuitur. Ut iur-

Quæ contingentia huc referenda ſint.

Annotatio.

Formulæ complures argumentandi à coniugatis.

gatus eſt cum eo, ergo cædem fecit. Aut connexa ſibi in
uicem contingunt, ut, Dominus eſt, ergo diues. Seruus
eſt, ergo pauper. Gladio accingitur, ergo ciuitatis mi-

Tres contingentium gradus.

niſter. Cõtingunt porrò alia alijs, quæ uel loco uel tem
pore continentur eodem. M. Quæ eſt uarietas con
tingentium, quæ ex ordine quodam tẽporis proficiſci-
tur? B. Quæ contingentia tribus gradibus diducun
tur, in antecedentia, adiuncta & conſequentia. M.

Ex antecedentibus.

Quæ ſunt exempla antecedentiũ? B. Hic adoleſcen
ti uulnus inflixit, quoniam ſæpenumero cum eo iurga-
tus eſt. Milites imperatoris iuſsis reclamant, ergo ſunt
defecturi. Puer de corporis laſsitudine conqueritur, er
go illi morbus imminet. Huc enim recidit omnis ferè
collectio ſignorum, quæ medicis & aſtrologis progno
ſtica dicuntur. M. Ex cõiunctis quo pacto colligitur?

Ex coniunctis.

B. Hoc ferè, Diues eſt, quia ſumptuoſe uiuit. Adole-
ſcentium more comitur ſenex, ergo adulter eſt. Rube
ſcit, ergo ex caloribus laborat. Huc ſpectãt apud medi
cos ſymptomata, ea præſertim quæ ſeparabilia uocãt.

Ex conſequentibus.

M. Ex cõſequẽtibus quæ ducũtur argumẽta? B. Huiuſ
modi prorſum. Scelere ſe obſtrinxit nebulo, nã in fugã
quantũ potuit ſe cõiecit. Hic cædẽ fecit, nã præ cæteris
trepidat. Biduũ te ieiunaſſe exiſtimo, qui ſolus anſerem
perederis. Sceleris cõſilia agitarũt, quoniã diducti uer
bis inter ſe non conſtiterunt. Mille in hũc modum con
fingi poſſunt exempla. Patet enim contingentium uſus
omnium ferè latiſsime, quod bona pars rerum humana
rum, ut à præceptore accepimus, tanquam in ancipiti
hærens,

hærens, certis rationibus deſtituitur. Hinc itaq; oratores quiq; in publicis conſilijs uerſantur, argumenta, quas coniecturas appellant, & medici ſymptomatum ſeparabilium collectiones depromunt. M. *Quid appellas nomen rei?* B. *Inuentionis indicem, ex quo ductum argumentum, rei probandæ nomen eſt, aut nominis interpretatio. Vt medicus eſt, ergo medebitur. Theologus eſt, ergo de Deo diſputabit. Hunc indicem Cicero modo à notatione, modo ab etymologia, alij à nominis interpretatione appellant.* M. *Quot modis hinc argumentamur?* B. *Tribus, uno, cum ex ipſo nomine ad interpretationem, aut contrà, ex interpretatione, ad nomen oſtendendum, argumentum ducitur. Vt ſi Cato philoſophus eſt, ergo ſapientiæ ſtudioſus. Si peripatetici eſtis, ergo in ambulando docete. Theologus eſt, ergo non de arte amandi, ſed de docenda religione diſputabit. Aurum undecunque parit, ergo Chryſogonus appelletur.* M. *Quis eſt alter modus?* B. *Cum ex agnominatione, ſeu quod magis tritum in ſcholis nomen eſt, ex æquiuocatione nominis argumentamur, in hunc modum: Venerabile eſt nomen patrũ, ergo plebs reuerenter colat patres. Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Quanquam hoc quoq; ad coniugata non perperam traduxeris, quibuſcum hic titulus habere affinitatis permultũ uidetur. Cæterum id nobis obiter intelligendum eſt, ex uocum agnominatione naſci ſæpenumero uel argumentum captioſum, uel ridiculi occaſionẽ.* M. *Quando hinc captio pro-*

Nomen rei 19. inuentionis titulus.

Formulæ hinc argumentandi. 1 2

Captio ex agnominatione.

ficiſcitur? B. *Cum agnominatio tectius & occultius ponitur, uel res ſimilitudine quadam in idem tendunt. Cuius generis exempla Sophiſtica & quotidiana calumniandi ratio permulta ſuppeditat.* M. *Quando ridiculum?* B *Cum uocũ agnominatio apertior eſt, habetq; acuminis aliquid et facetiarũ admixtũ. Quale eſt illud de* Nerone *matricida: Quis negat* Aeneæ *magna de ſtirpe* Neronem? *Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. Itẽ illud: Verus iſte familiæ pater eſt, quandoquidem ex ancilla liberos ſuſcepit. Conſimile eſt & illud cuiuſdam, qui cum humeris ſuſtineret craſſum & præpinguem abbatem, ſi tibi, inquit ad prætereuntem, chara eſt religio, ne mihi negocium faceſſas, nam mihi res eſt cum magno & graui theologo.* M. *Satis id quidem ſalſum, ſed quis eſt tertius huius tituli uſus?* B. *Cum nomen aliquod per metaphoram transfertur, & deinde ex propria eius & genuina ratione ducitur argumentum. Vt, quis cælauerit ignem* Lumine *qui ſemper proditur ipſe ſuo? Item illud: Hiſce ego dictis illam tibi tam incenſam dabo, ut ne extinguas lachrymis, ſi totus extillaueris.* In *hunc indicem referendus eſt locus à tranſumptione, quam recentiores uocant.* M. *De nomine rei, hæc abunde ſufficiunt, iam pronunciatum quid uocas?* B. *Inueniendi titulum, qui argumenta ſuggerit, quæ de re propoſita, affirmandi aut remouendi cauſa uel dicta ſunt uel facta: ut ſi iuſticiam cæteris honeſti partibus anteponẽdam eſſe contendas, q; eam* Marcus Cicero, *uirtutum omnium dominam*

Ridiculum ex agnominatione.

Pronunciatum, 20. inuentionis titulus.

minam & reginam appellauerit. Si animi mores pro uario corporis habitu ſubinde mutari cõfirmes, quod Galenus ſummus & medicus & philoſophus ita ſenſerit. Hunc inuentionis titulum alij iudicij, alij authoritatis, alij deniq; teſtimonij appellatione complexi ſunt, quæ nomina cum anguſtiora eſſent, quàm ut uniuerſam huius indicis uim copiamq; ampiecterentur, pronunciatum in eorum uicem ſubdidit Rodolphus Agricola, uir ſi quiſquam alius, in omni diſſerendi facultate exercitatiſsimus. Sic enim à præceptore ſæpe multũq; dici commemini. M. Quot modis diuiduntur pronunciata? B. Tribus, quod ad huius diſciplinæ uſum pertinet. Primo enim eandem uarietatem recipiunt, quæ artium eſt. Sic alia ad orationis artificium, alia ad mores formandos, alia ad religionem, alia ad naturæ rationes, alia deniq; ad eas facultates pertinent, quibus humanis neceſsitatibus uitæq; commodis ſubuenitur. Deinde pro methodi locis diuidi poſſunt, ut alia finitionis, alia diuiſionis, alia cauſarum, alia alterius cuiuſpiam loci naturam obtineant. Vtraq; hæc diuiſio in locis communibus locupletandis, & magna ſupellectile inſtruendis, non uulgarem habet uſum. Nam qui in legendis authoribus, hoc delectu & ordine, inſigniores ſententias in communes artium titulos diſtribuunt, magna ſe ad dicendum commoditate & copia inſtruunt. Eſt enim à me, hic colligendi pronunciata labor, præceptoris arbitratu ſuſceptus, ac tantum mihi aſſequutus uideor, ut quantum huic ſtudio laboris impenderim,

Diuiſio pronunciatorũ

Annotatio de locis cõmunibus.

haud quaquā me pœniteat. M. *Agnoſco frater tuam diligentiam atq; conſilium. Sed quis eſt tertius modus diuidendi pronunciata?* B. *Quo in diuina & humana diducuntur.* M. *Diuina quæ uocas?* B. *Quæcūq; Dei uel numinis aut uoce, aut inſtinctu ad nos perferuntur, ut ſunt oracula, uaticinia, ſacræ literæ, auſpicia, reſponſa ſacerdotum, haruſpicum, coniectorum, itē ſomnia, prodigia, denīq; omnis generis territamenta, & manium apparitiones.* M. *Quæ ſunt humana?* B. *Quorū prima ab hominibus origo eſt, quæ aut oratione aut facto continentur.* M. *Quotuplicia ſunt, quæ in oratione ponuntur?* B. *Duplicia, aut enim ſcripta exhibentur, ad rei propoſitæ confirmationem, ut chirographa, inſtrumenta, epiſtolæ, libelli, leges: aut dictione continentur, quæ rurſus trifariam diuidūtur, in libera, coacta & media ſeu fortuita.* M. *Quæ uocas libera?* B. *Quæ citra coactionem libero arbitrio proferūtur. Vt ſunt encomia, res iudicatæ, præiudicia, teſtimonia, ſeu dicta teſtium, pacta, conuenta. Item ſcriptorum illuſtrium, uirorum ſapientum, ciuium clarorum, hominum nobilium ſententiæ. His accedunt principum, ſapientum, & popularīū apophthegmata, prouerbia. Sub hæc fabulæ, rumores, fama populi, quæq; ſimili in genere uerſantur.* M. *Coacta quæ uocaſti?* B. *Quæ aut religione exquiſita ſunt: ut iuſiurandum: aut tormentis expreſſa, qualia ſunt quæ in pœnis confitentur ſontes.* M. *Quid, media ſiue fortuita quæ tandē uocas?* B. *Quæ proficiſcūtur uel ab animi perturbatione*

Diuina pronunciata.

Humana.

Libera.

Coacta.

Media ſiue fortuita.

batione aliqua,ut quæ à dolẽtibus,cupidis,iratis,aut ſimili affectu perturbatis dicuntur:uel ab ignorantia,cui ſubijciũtur pueritia,ebrietas,ſomnus,imprudẽtia, & inſania. Atq; hæc ferè oratione ſcripta aut nõ perſcripta,continentur. M. *Quæ igitur in facto ſunt poſita?* B. *Hæc facilius exemplis q̃ enumeratione oſtendero. Sunt igitur huiuſmodi ferè, ut ſi humanæ uitæ incommoda oſtenſurus,alleges eorum nationum perſuaſionẽ,quæ fletibus natos, lætitia defunctos proſequuntur, Si miſericordiam laudaturus,in argumentum afferas,q. prudentiſſima Athenienſiũ ciuitas, hanc ut deã, in Rempub. aſciuerit. Eiuſdem notæ fuerit,quod à præceptore accepimus, de nobili quodam ſtulto, cui Nicolao nomen erat : qui duobus Saxonum principibus, de diuidendo ducatu conſultãtibus, ueſtem diuiſam in concilium attulit,ac ſuam utriq; portionem appendit, addens ut uiderent,num quæ utriq; pars cõtigiſſet, ad totius corporis protectionem ſufficeret. Quo tanquam oraculo admoniti, duces clariſſimi dimiſſo concilio à propoſito deſtiterunt.* M. *Hoc factum non ſtultum ſed prudentem animũ coarguit. Sed quorſum tam diligens iſta & accurata pronunciatorum diuiſio?* B. *Vt & pluribus tanquam titulis propoſitis, magis in promptu ſit, quod rei præſenti cõuenienter poſſit accommodari, & ſingulorum natura perſpecta penitus intelligamus, quãtum quodq; hinc ductum argumentum, ad orationis fidem ponderis obtineat. Permultum enim retulerit, tam in confirmando, quàm in refellendo*

Pronunciati genus, quod facto cernitur uerius quàm dictione.

Quo referenda ſit pronunciatorum diuiſio.

cuiuſq; pronunciati naturam perſpexiſſe diligentius. Nam plus diuinis quàm humanis tribuendum eſt. Ac in utroq; genere maxima ineſt uarietas, quæ locis, temporibus, perſonis, & pronũciandi modo finiri poteſt. M. Quæ igitur eſt hinc argumentandi formula? B. Haud facile poteſt in tanta rerum uarietate, certa lex præſcribi. Veruntamen ut habeamus exercendi quaſi exordia quædam, conabimur qualemcunque aperire uiam, ad quam cum dicendi uſus acceſſerit, reliqua ſe nobis offerant, non diu quæſita. Primum igitur, à pronunciatis argumentamur ut plurimum affirmatiue: negatiue infrequentius. Deinde in qua quiſq; profeßione maxime excelluerit, in ea fidei quoq; plurimum meruerit. Sic in diſceptationibus phyſicis & medicis Hippocrates & Galenus: in conſtituendis moribus, Socrates, quiq; hunc bona fide ſequuti ſunt, præ cæteris fidem merentur. In eloquentiæ rationibus Ciceroni & Demoſtheni, merito primæ deferuntur. Idem in cæteris quoque profeßionibus ſtatuendum eſt, ut præſtantißimi cuiuſq; artificis ſtetur arbitrio. Poſtremo quoniam in pronunciatis maxime requiritur authoritas, licebit hic imitari diligẽtes oratores, & ſuam cuiq; commendatiunculam pro conditione rei præſentis affingere. Vt ſi in pronunciato fides deſyderabitur, ab authoris grauitate fideq; commendabitur. Similisq; in cæteris uſurpanda eſt ratio. Vt, anima mortalis eſt, quoniam Socrates, qui Apollinis oraculo unus ſapiens iudicatus eſt, id conſtantißime aſſeruit. Animi mores corporis habitum

Formulæ argumentandi à pronunciatis.

habitum conſequuntur, quoniam hæc ſententia eſt Galeni, poſt Hippocratem phyſicorum ac medicorum facile principis. Non expedit tenera puerorum ingenia, immodicis præceptionibus onerari, quoniam id uetuit Quintilianus, exactiſſimus iuuentutis formator. M. Sunt ne hæc omnia, quæ de pronunciatis dicere habuiſti? B. Prorſum frater, ſi hoc unum adiecero, quæ in euangelicis literis ad religionem perſcripta ſunt, certioris apud nos fidei eſſe debere, quàm ulla demonſtratio, uel arithmetico, uel mathematico unquam fuerit: in cæteris uero rerum generibus, partim ſanæ mentis iudicium, partim doctrinam in conſilium adhibendam eſſe. M. Pronunciati itaq; rationes accepi, ſed comparatum quod appellas? B. Inuentionis titulum, qui argumenti index eſt, quod cum re propoſita non quidem ut connexum, ſed tamen ratione quadam in eodem tertio coniungitur. Vt ſi ambigens ecquid Ciceroni licuerit ſequi bellum ciuile, in argumentum afferas Catonem, ipſiq; tribuas, quod Ciceroni tribuendum contendis, in hunc modum: Catoni licuit ſequi bellum ciuile, ergo & Ciceroni hoc ipſum licuit. Hic enim Ciceroni Cato in tertio, quod eſt ſequi bellum ciuile, confertur. M. Quare in definitione adijcitur in eodem tertio? B. Ad ſecludendam ſimilitudinem, in qua duo pluràue ſic inter ſe conferuntur, ut ſingula ſingulis tribuantur. M. Semper ne fit comparatio in uno eodemq; tertio? B. Minime, nam id quod utrique comparationis membro commune eſt, honeſtandæ

Annotatio.

Comparatum 31. inuentionis titulus.

Cõparatio nẽ in eodẽ tertio fieri.

augendæq; argumentationis gratia, in dicendo interim diducitur & ſingulis redduntur ſingula, quorum ratio uni tanquam generi ſubijcitur, quod ambabus comparationis partibus commune ſit. Quod cum ſit, probandi uis non in ſingulis poſita eſt, ſed in uno aliquo quod utriq; commune eſt. Vt ſi Didonem decet, habitare Africam, decebit & Aeneam petere Italiam. Hic

Annotatio.

Aeneas & Dido *comparantur, in duobus, in habitanda Africa, & petenda Italia : quæ duo uni tanquam generi ſubijciuntur, quod eſt peregrina regna quærere, in quo argumentandi uis poſita eſt. Splendidius hoc faciunt oratores, & ſingula apparatu ſuo inſtruunt, pluraq; interim argumenta, eodem orationis ambitu comprehendunt : id quod illud* Ciceronis *teſtatur.* Publius *ergo* Scipio, *cum* Tiberium Gracchum *mediocriter labefactantem ſtatum* Reipub. *priuatus interfecerit, quid nos?* Catilinam *non ſtatum* Rei publicæ, *ſed orbem terrarum, non labefactantem, ſed uaſtare cupientem, non mediocriter, ſed cæde & incendijs, eum nos non priuati, ut* Scipio, *ſed conſules, non interficiemus, ſed perferemus?* M. *Quot ſunt cõparationis formulæ?* B. Tres, *aut enim argumentum re probanda minus eſt, aut maius, aut ipſi ex æquo accommodatur. Hinc totidem comparationis formulæ promanant, una à minori, altera à maiori, tertia à pari.* M. *Quandoquidem à præceptore accepimus, comparatorum in dicendo creberrimum eſſe uſum, age ipſorum formulas pluribus aliquanto perſequamur, ac*

Tres eſſe formulas comparationis.

primũ

primum dic ſodes quæ eſt maioris in probando condi-tio? B. Hinc ad remouendum creberrime, ad aſtruendũ infrequẽtius ducitur argumentũ. Vt imperator nõ potuit exercitum à ſeditione reprimere, ergo nec miles id poterit. Tyranno uir bonus ſupplicare non debet, ergo nec improbæ uxori maritus. Parenti non obtemperat, & audiet alienum? Si pater in filium uitæ necisq; poteſtatem habuit, ergo & uirgis cædendi, Si adulterum loris occidere licet, ergo cædere. Quanquam hæc argumenta, quæ affirmatione conſtant, ex minori ducta uideri poterunt. Siquidem illa modo à maiore appellantur, quæ huic quadrant formulæ: Si quod potius atque facilius ineſſe & debebat & poterat, remouetur, haud ſane id ineſſe largiendum eſt, quod aut minus aut difficilius eidem tribui conſtat. Hæc enim regula negatiuis argumentationibus tantum competit. Mi. Ex minore quo pacto colligitur? Bar. Affirmatiue, iuxta formulam. Si id tribuitur quod uel minus uel difficilius poteſt, tribuendum quoque eſt id quod magis atque facilius alicui poteſt tribui. Vt puer iſta potuiſti, & uir non poteris? Si huius mortem tam fert familiariter, quid mihi hic faciet patri? Hiſtrio quid deceat quærit, & non idem faciat orator? Serui ære parati, iniuſta imperia dominorum non perferunt, uos Quirites, in imperio nati, æquo animo ſeruitutem toleratis? Si uituperandi ſunt qui in contractu uitium reticuerunt, quid de iis extimandum eſt, qui orationis uanitatem adhibuerunt?

A maiore cõparatio.

Annotatio.

Annotatio.

Breuior minoris & maioris cõparatorũ diſtinctio.

M. Eſt ne alia regula præter ſuperiores formulas, iudicandi comparata inæqulia? B. Eſt ſane, & quidem huiuſmodi, ut id comparatum maius, quod uerißimilius, ac minus habeatur, quod uero dißimilius ſit. Hanc enim præceptor aſſeruit, Ariſtotelis eſſe ſententiã. M. Vnde hauriuntur inæqualitatis rationes? B. Ex cæteris inuentionis titulis prope omnibus. M. Sed ne omnia perſequamur, quot modis colligitur à pari? B. Duobus, affirmando, & remouendo. Affirmando quidẽ in hunc modum, Si Rhodijs turpe non eſt portorium locare, nec Hermacreonti conducere. Qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Quæ pœna aduerſus parricidam iuſta eſt, eandem quoq; in matricidam conſtituere licebit. Remouendo, in hunc modum. Interfector patris non abſoluitur crimine, ergo nec is qui matrem à ſe interfectam fatetur. Si hiſce tẽporibus non conceditur patri in filium uitæ necisq; poteſtas, ergo nec in filiam.

A pari.

Duplex exempli acceptio.

M. Quid? exemplum quo reponis? B. Exempli nomen bifariam apud authores uſurpatur, modo pro inductione imperfecta, quo ſenſu refertur inter argumẽtandi formulas: modo pro argumenti indice, reciditq; in hunc inuentionis titulum, quem à comparatis uocauimus. M: Quid igitur hoc loco exemplum uocas? B. Comparatorum ſpeciem, quæ de communi uita moribusq; deprompta, in certis fere perſonis conſiſtit: uel, ſi hoc maius pacto definiri, exemplũ eſt, rei geſtæ, aut perinde ut geſtæ, utilis ad perſuadendum commemoratio:

Exemplum quo ſpectat

quo

quo ſenſu diuiditur in uerum, & in fabuloſum. M. *Sed quoniam & hic locus in dicendo frequens eſt, & obiter eius diuiſionem attigiſti, quot modis quæſo diuidun tur exempla?* B. *Pluribus ſane, quos in dicendo ſtudioſe perſequuntur oratores. Verum nobis in preſentia is modus ſufficit, quo exemplum diducitur in ſimile ſeu par, in contrarium, in maius & minus.* M. *Quæ ſunt hinc argumentandi formulæ?* B. *Eædem propemodum quas in cōparatis oſtēdimus. A pari, ut iure occiſus eſt Saturninus, quoniam & Gracchus. A contrario, ut Brutus filios proditionem molientes occidit. Manlius uirtutem filij morte mulctauit. A maiore ut, ſi Hannibal Romam capere non potuit, ergo nec Gotthi. A minore, ut ſi propter unius Lucretiæ uiolatam pudicitiam Romani reges exacti ſunt, quid hiſce temporibus in tanta fœdiſsimarum libidinum turpitudine fieri conuenit?* M. *Quò refers proportionem, quam ex recentioribus nonnulli cum Themiſtio, argumentorum indicibus connumerant?* B *Ad comparata, & quidem ad eam maxime ſpeciem, quam à pari uocauimus.* M. *Quid igitur inter comparationem & proportionem intereſt?* B. *In comparatione æqualium uel inæqualium habetur ratio. In proportione habitudinis cuiuſdā ac proportionis collatio inſtituitur. Aut quod magis placet, proportio eſt ſyllogiſtica perfectaq́; comparationis formula: ut comparatio eſt. Nam ut nauis gubernator, non forte, ſed iudicio eligitur, ita in Repub. magiſtratus ſunt eligendi. In proportionis formulā idem*

Formulæ argumētandi ab exemplis.

Proportio.

Proportio quid.

argumentum hoc modo conijcitur. Ita ſe habet ad nauim gubernator, ut ad Rempublicam magiſtratus. At iudicio, non ſorte gubernator eligitur. Sunt ergo magiſtratus iudicio, non ſorte eligendi. Hac formula tum in diſtribuendis pœnis, atque honoribus, tum in rebus contrahendis crebro utendum eſt. Quare à iudicibus atque philoſophis perſæpe uſurpatur, in eo diſceptationis genere, quod iuſtitiæ rationibus ſubiectum eſt. Sic enim à præceptore dici commemini. M. *Expeditis comparatis, ſimilia quæ appellas?* B. *Indicem argumenti, quod cum re præſenti hactenus conſentaneum eſt, ut ſicuti ipſum cum rebus ſibi attributis conſentit, ita res propoſita cum eo quod ſibi tribuitur, copuletur. Ut Quintilianus oſtenſurus, prima diſcentium ingenia, non obruenda eſſe immodicis præceptionibus, in argumentum adhibet uaſcula oris anguſti, ut quemadmodum illa humoribus implentur, ſic tenera puerorum ingenia præceptis imbuantur. Abſoluit itaque ſimilitudinem in hunc modum. Quemadmodum uaſcula oris anguſti, ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem inſtillantibus replentur: ſic tenera puerorum ingenia, grandia non percipiunt, modica & uiribus ſuis apta, commodius addiſcunt.* M. *Quid intereſt inter ſimilia & comparata?* Bar. *Comparata rei probandæ iunguntur in eodem tertio, aut in duobus quæ uni tanquam generi ſpecies ſubijciuntur. Similia uero prorſum ſunt extra rem propoſitam, ac nunquam ei in uno tertio iunguntur*

Similia. 22. inuentionis titulus.

Diſcrimen inter ſimilia & comparata.

2

guntur. Quare comparatio in ſyllogiſmi formam facile conijci poteſt, quòd eius uis in tribus terminis poſita ſit: ſimilitudinem uero, ut quæ ex quatuor ut minimum rebus conſtituta ſit, non ita commode in perfectæ argumentationis rationem concluſeris. Ideoq; nullam fere probandi neceßitatem affert. M. Quot modis inueſtigatur ſimilitudo? B. Duobus maxime, quorum unus à rei cuiusq; notitia proficiſcitur, alter ex metaphoræ obſeruatione conſtat. Prioris hæc ratio eſt, ut primum acri mentis iudicio perſpiciamus id, cui ſimilitudinem quærimus, quale ſit, quidue efficiat. Quibus diligenter exploratis, altera animum cura ſubeat, inquirendi rem quampiam, cui ſit conſimilis in ipſa uis qualis eſt in propoſito noſtro eius, quod ſimilitudine docere ac imitari cupimus. Vt ſi libeat oſtendere, quò Reipublicæ incolumitas retineatur, perditos ciues è medio tolli debere, prima cura erit, ut quid qualisque ſit Reſpublica perdiſcas, quidque in ipſa flagitioſi ciues efficiant. M. Qualia igitur hæc ſunt omnia? B. Reſpublica eſt hominum multitudo, morũ legumq; conſenſu, in unum populi quaſi corpus collecta. Ac improbi ciues primum, mores legesq; euertunt: deinde bonis uiris moliuntur exitium. M. Quid iam Reipub. ſimile inuenis? B. Corpus humanũ, in quo humorũ & qualitatũ inter ſe concordia, morũ legũq; cõſenſui: ac perditis ciuibus reſpõdẽt, uicioſa mẽbra. Hæc enim partim totius corporis, tanq̃ harmoniã lædũt, partim integris membris cõtagione nocẽt. Naſcitur igitur ſimilitudo ſi ad tu

Modi inueſtigandæ ſimilitudinis

endā Reipub. incolumitatem, medici in tutanda corporis ſalute proponetur conſiliū. Hanc quidē ſimilitudinē in hunc modum pertractauit Cicero. In corpore ſi quid eiuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri ac ſecari patimur, ut membrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: ſic in Reipub. corpore, ut totum ſaluum ſit, quicquid eſt peſtiferum amputetur. M. Quis eſt alter modus inueniendæ ſimilitudinis? B. Vt propoſito eo, cui ſimilitudinem quærimus, animo per autores decurras: ac ſedulo animaduertas, quæ de ipſo per translationem extent pronunciata. Suppeditabit enim ſimilitudinem, id in quo translata propria ſunt, uel genuina. Quid enim aliud eſt metaphora, ſi quid præceptori credimus, quàm inchoata quidem, ſed non dum perpolita ſimilitudo? Si itaq; amoris uim & naturam, oculis ſubijcere uelis, quæ de ipſo per translationem dicta ſunt, conquiras oportebit. Qualia ſunt amore teneri, ardere, captum eſſe, inſanire, cæteraq; id genus ſimilia. Pro hac uarietate, modo à uinculis, modo ab igni, modo aliunde, prout noſtri propoſiti ratio efflagitauerit, ſimilitudinem mutuabimur, eamq; prout nobis commodum erit, modo in laudem, modo in uituperium rei præſentis confingemus. Porrò quia uterque modus inueſtigandæ ſimilitudinis, plurium rerum, quàm ætas noſtra fert, noticiam complectitur, & ſimilium uſus in diſſerendo frequens & illuſtris eſt, aſſolet nos præceptor cohortari, ut ſtudioſe multumq; legeremus, eum Eraſmi libellum, cui de ſimilibus titulum fecit

Eraſmi ſimilia.

cit, in quo uir ille, omni poſteritati admirãdus, hunc lo cum copioſe inſtruxit, exẽplis multis, uarijsq́; ex ſcriptorum illuſtrium lectione comportatis. M. Verum ne omnia perſequamur, quæ tandem eſt hinc argumen tandi ratio? B. Similia ad colligendam & remouendam rem præſentem ualent, ut, Sed tanquam bona ualetudo iucũdior eſt eis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquã ægroto corpore fuerunt, ſic patria, cæteraq́; fortunæ bona, deſyderata magis quàm quotidie percepta delectant. Vt in urbe defendẽda nihil prodeſt, cæteras quidem portas omnes eſſe clauſas, modo una aliqua pateat, per quam hoſtes recipiantur in urbem: ita parum fuerit iuueni, ſi à cæteris uoluptatibus ſeſe abſtineat, dum ab una quapiam in profundum uitiorum præceps agatur. M. Quo pacto reprehenditur argumentum à ſimili ductum? B. Si aut diſsimile eſſe docebimus, quod alter ſimile dixit, aut aliam commodiorem ſimilitudinem adducemus, hoc modo: ut picem nemo tractat, niſi contaminetur, ita poetas nemo legere poteſt, quin ad libidinem incitetur. Hic aut negabimus ſimile quidpiam poeſim, diuinam ſcientiam, cum pice habere: aut cõmodiorem ſimilitudinem afferemus in hunc modum: immo, quod apes facere uidemus, ut ex unoquoq; floſculo, quicquid eſt optimum id excerpant, uenenum araneæ exugendum relinquant: ita nos in poetis, quod eſt eruditionis & bonæ doctrinæ, id nobis rapimus, ſi quid obſcœnitatis occurrerit, id relinquemus. Porrò huc licebit item referre diſsi-

Formulæ colligẽdi à ſimilibus.

Reprehenſio ſimilitudinis.

Diſsimilitudo. *militudinem, quæ in refutando perſæpe adhibetur. Vt non ut nauis, ita amicicia noua melior eſt. Non enim ut qui currenti ad curſum ſuccedit uelocior eſt: ſic qui imperatori ad regendum exercitum, melior. Certus autem dies non ut ſacrificij, ſic conſilij expectari ſolet.*

De repugnantibus. M. *Hactenus quinq; accidentium titulos ſermone pertractauimus, iam ad cæteros externorum argumentorum indices accingamur. Ac primum repugnans quid uocas?* B. *Communem inuentionis notam, quæ huiuſmodi ſuppeditat argumentum quod à re propoſita per ſe diſsideat: ita ut alterum id eſſe quod alterum eſt, dici minime poſsit. Hinc igitur duxeris argumentum, ſi calidum quippiam eſſe neges, eo quod frigidum ſit. Nam frigidum quod probandi cauſa adhibetur, à calido per ſe ita diſsidet, ut alterum id eſſe quod alterum eſt, dici nequeat. Conſimilia ſunt exempla, hominem ne appellas, quem plus quàm beluam eſſe conſtat? Cæcus eſt, quid igitur ſpectatum abibit?* M. *Quot generibus diſtinguitur repugnans?* B. *Duobus, oppoſito uno, altero diuerſo.* M. *Quod uocas oppoſitum?* B. *Communem argumenti indicem, quod ſolum rei præſenti ita repugnat, ut neq; alterum de altero, neq; ambo de eodem tertio, idq; eadem ratione dici poſsint.* M. *In quot formas diducitur oppoſitum?*

Oppoſitũ, 23. inuentionis titulus.

B. *In quatuor, in* Relatiuum, Contrarium, Priuationem, *et contradictionem. Totidem enim modis rei propoſitæ aliquid opponi euenit.* M. *Quid intelligis rei probandæ relatiue opponi?* B. *Quod ſecundum*

hoc

hoc ipſum, quod eſt, rei præſentis dicitur, indeq; no men accipit Eſtq; hæc prorſum relatiuorum conditio, ut tametſi in eodem ſubiecto una eademq; ratione in= eſſe nequeant, tamen alterum ſine altero, nomen ſuum nec tueri, nec amittere poßit. Sic pater & filius, domi nus & ſeruus, imperator & miles, maritus & uxor, quæq; cætera in connexis relata ſunt, ſibi inuicem op= ponuntur. M. *Contrarium quod appellas?* B. *No tam argumenti, quod rei probandæ ſic opponitur, ut & utrunq; ſimul, & alterum ſine altero exiſtere poſ= ſit.* Hoc *genus argumenta confeceris, ſi de calore dictu rus, frigus: ſi de ſicco, humidum in probationem aſci= ueris.* M. *Quot formis diſtinguuntur contraria?* 1 B. *Duabus, nam quædam ſic inter ſe pugnant, ut ni= hil recipiant medium. Qualia ſunt uirtus & uitium, integritas & ſocordia, iuſticia & iniuſticia, calidum & frigidum, cæteraq; id genus, quæ uulgo contraria immediata dicuntur. Quædam autem medium recipi= unt, quæ mediata in ſcholis dicimus, ut albus & niger, ſapiens & ſtultus, quæq; cætera ſimiliter affecta ſunt.* M. *Quod intelligis priuatiue rei præſenti opponi?* B. *Quod habitationis cuiuſpiam formæq; à natura nõ denegatæ, in ipſa deſpoliatio eſt.* V*el quod rei præ ſentis corruptio eſt, ſicq; ei opponitur, ut ſemel utrũq; eſſe nequeat.* Vt *ſi neges quempiam uidere, q cæcus ſit.* Hic *enim cæcitas, uiſus corruptio eſt, ſicq; ei oppo nitur ut ſemel utrunq; in eodem ſubiecto eſſe nequeat.* M. *Quid uocas rei propoſitæ cõtradicens?* B. Quod

Relatiuum

Contrariũ.

Contraria. immediata. 2

Mediata.

Priuatiuum

Contra dicens

hac lege ipſi opponitur, ut id ipſum quod in propoſito
uel affirmatum eſt, remoueat, uel remotũ affirmet. Vt
ſi in re propoſita affirmatum ſit, quempiam currere,
contradicens erit, eundem non currere. M. *Quare,*

Explanatio definitiõis.

id ipſum, formulam definitioni inſeruiſti? B. *Quia*
in diuerſis non fit contradictio, ſed idẽ de eodem affir
mat & remouet. *Habet itaq; uel maxime locum in re-*
bus ſingularibus. M. *Oppoſitorũ deſcriptiones te*
neo: iam formulas hinc argumentandi tanquam leges

Formulæ argumentandi à relatiue oppoſitis.

expecto. B. *Relatiue oppoſitorũ uno affirmato, con*
ſequitur alterius in eodem ſubiecto remotio, idq; eadẽ
ratione. Quare hinc ſolum negatiue ducitur argumen
tum, ut miles es, igitur non Imperator. Aeneas fuit pa
ter Aſcanij, ergo non filius. Herus tuus ſum, qua fronte
requiris à me ut tibi inſeruiam? Seruus es, & nobis im
1 *peratum cupis? Cæteræ relatiuorum formulæ partim*
ad connexa, partim ad contingentia pertinent. In præ
ſentia enim à nobis hactenus conſyderantur, quatenus

Formulæ colligendi à contrarijs.

inuicem alterum alteri repugnat. M. *Quæ ſunt ra-*
tiones colligendi ex contrarijs? B. *Primũ contraria*
tam quæ mediata, q̃ quæ immediata uocant, eidem ſe-
mel competere, cum natura repugnat. Quare uno tri-
buto, ſequitur alterius in eodem ſubiecto remotio. Vt
ſtultus eſt, ergo à ſapientia longiſsime abeſt. Niger eſt,
ergo non candidus. Poteſt ne uir extreme auarus, eſſe
2 *prodigus? Deinde contrarijs immediatis, quorum ne-*
ceſsitate quadam naturali, alterum alteri tantum oppo
nitur, hoc peculiariter competit, ut ſe mutuo aut colli-

gant

gant, aut remoueant. Quare in utranq; partem argumentū ſuppeditant, hoc modo: Si malitioſus eſt, qui poteſt uirtute eſſe præditus? Et contrà, non eſt malitioſus, ergo uirtute præditus eſt. Iuſtus eſt, ergo non iniuſtus. Et contrà, non eſt iuſtus, ergo iniuſtus ſit oportet.

M. *Quot modis argumentamur à priuatiue oppoſitis?* B. *Duobus, uno cum remoto habitu infertur priuatio. Vt, non uidet, igitur cæcus eſt: altero, cum affirmato habitu, remouetur priuatio: ut uidet, igitur non eſt cæcus. Similis eſt ratio argumentandi ex priuatiōe ad inferendum & remouendum habitum: ut cæcus eſt, igitur non uidet: & contrà, non eſt cæcus, igitur uidet. Et mortuus eſt, ergo non uiuit: & contrà, non eſt mortuus, igitur uiuit. Porrò hic meminerimus, apud phyſicos habitum remouere priuationem, non modo in præſentia, uerumetiam, quod ad futuri conditionem pertinet. Negant enim ipſi, à priuatione ad habitum reditū eſſe.* M. *Memoriæ id commēdabo: hactenus enim me latuit, ſed quæ tandem eſt ratio argumentandi ex contradicentibus?* B. *Eadem, quam in priuatiue oppoſitis retulimus. Vt qua frōte eſſe negas eum, quem modo eſſe dederis? Exploratum eſt, piſces in aquis ſpirare, male igitur id à nōnullis itur inficias. Hæc formula plærunq; in contentionibus adhibetur, quoties incōſtantiæ ſonumeitur aduerſarius. Quanquam in cæteris quoq; oppoſitorum generibus, idem facere expedit, cum ualide nobis refriendus eſt aduerſarius.* M. *Eſt ne communis quædam argumentandi formula, quæ oppoſitis*

Formulæ argumētandi à priuatiue oppoſitis.

Formulæ argumētandi ex cōtradicentibus.

omnibus ex æquo competat? B. *Eſt prorſum, niſi memoria fallor.* M. *Quæ tandẽ quæſo?* B. *Quoties oppoſitis tribuuntur oppoſita, aut certe, quod uni oppoſitorum tributum eſt, id ab altero remouetur. Id quidem in relatiuis in hunc fit modum. Si ſeruitus miſera eſt, ergo dominiũ fœlix. Si præceptoris munere defungi iucundum eſt, ergo diſcipulum agere moleſtum. In contrarijs hoc pacto: Si amandus, qui bene meretur, odio proſequendus eſt qui male. Si in uoluptate ſummũ bonum conſiſtit, profectò in dolore extremum malum. Si glacies conſtringitur frigore, ergo calore reſoluitur. Si tibi calida proſunt, ergo obſunt frigida. Hac formula tum phyſici, tum medici non raro utuntur. In priuatiue oppoſitis hunc in modum: Integritas ſenſuum à natura expetitur, ergo cum natura pugnat ipſorum priuatio. Si uiſus tantopere expetitur, maxime fugienda cæcitas. Si uita beata, ergo mors miſera. In contradicentibus hoc pacto: Si à cibo inambulare ad ſanitatẽ cõfert, ergo non ambulare, inſalubre. Hic ſi uocẽ eandem non repetas, ex contrarijs naſcetur argumentum. Vt ſi à cibo inambulare tuendæ ualetudini cõfert, ergo quieſcere, inſalubre. Porrò efficiendum eſt, ut communis hæc formula ex contrarijs ratiocinandi, certa quadam uia & ratione conſtituatur. Alioqui enim ex contingentibus naſcetur argumentum. Huius itaq; claſſis fuerit: ſi imperatorem eſſe, præclarum eſt, ergo militem agere ignobile. At ſi ita collegeris, ſi imperator clarus eſt, ergo miles ignobilis, iam in contingentium titulum reciderit*

Communis omnium oppoſitorum conditio.

Annotatio.

derit argumentatio. M. Quid porrò de oppoſitis ſolet præceptor annotare? B. Ex contrarijs immediatis, ex priuatione & habitione, & ex cõtradicentibus effici propoſitiões hypotheticas, quas proprie diſiunctiuas eruditi appellant. Primũ enim ex Cicerone id liquido conſtare, qui in Topicis hoc modo ſcriptum reliquit. Quæ concluſiones idcirco raræ ſunt, q; in diſiunctione, plus uno uerũ eſſe non põt. Deinde ex A. Gellio cuius hæc in 16. lib. uerba extant: Ex oĩbus quæ diſiungũtur, unum eſſe uerũ debet, cætera falſa. Exẽpla uero huiuſmodi afferebat: Aut iuſtus eſt aut iniuſtus. Aut nox eſt aut dies. Aut miſera eſt mors aut non miſera. In his enim diſiunctionibus plus uno uerũ eſſe non põt. M. Hæc de oppoſitis abũde ſufficiũt, ſed diuerſum, alterũ repugnantiũ genus quod uocas? B. Titulũ argumenti, quod nõ certo ductu, ſicuti oppoſita, ſed tamẽ interna quadã ui atq; ſubſtantia à re propoſita diſsidet, ita ut alterũ id ipſum quod alterũ dici nõ poſsit: ut ſi oſtenſurus Herculẽ non fuiſſe deũ, in argumentũ aſſumas hominem, colligasq; hunc in modũ: Hercules homo fuit, ergo nõ deus. Hic homo q in argumentũ adhibitus eſt, à deo interna ui atq; ſubſtantiæ rõne diſsidet. M. Quot modis uſu uenit argumentũ à re ꝓpoſita eſſe diuerſũ? B. Quatuor, numero, ſpecie, genere & prædicamento. M. Quando numero? B. Cum utrũq; & argumentum & res colligenda ſub eadem ſpecie infima continentur, hoc eſt, cum ambo unius ſpeciei indiuidua ſunt. Quod genus fuerit ſi quis neget à Cicerone

Annotatio.

Diuerſum, 24. inuẽtionis titulus.

Quatuor diuerſorum modi.

Numero diuerſum.

interfectum C. Cæſarem, quod Brutus eum confecerit. Hic Cicero ut res propoſita, & Brutus ut argumentum, uni infimæ ſpeciei, nimirum homini ſubijciuntur. M. Quando ſpecie? B. Cũ res in quæſtione poſita, & id quod in argumentum aſſumitur, uel diuerſarum ſpecierum ſunt indiuidua: ut Alexander & eius equus quem Bucephalum fuiſſe appellatum ferunt: uel ſpecies inter ſe diuerſæ, ut homo & equus. M. Quãdo genere? B. Quum argumentum & res, cui fides quæritur, uel ſpecies ſunt, diuerſis ſubiectæ generibus, ut aſinus & lactuca, homo & pomus: uel genera à ſe diuerſa, ut animal & arbor, lapis & herba. Mich. Quis tandem eſt quartus modus? B. Quum argumentum & res probanda in diuerſis prædicamentis, hoc eſt, ſummis rerum differentium generibus continentur. Quod genus argumentationem confeceris, ſi uel homini magnitudinem, uel dominio explicando, uirtutem adhibueris. Atq; hic nobis intelligẽdum eſt, ſummam diuerſitatem eſſe, prædicamentis aliqua inter ſe eſſe diuerſa: contrà, minimam eorum, quæ numero differũt. Ex quo efficitur, quæ prædicamẽtis dimota ſunt, hæc ipſa cæteris conditionibus omnibus differre: & contrà, quæ numero eadem ſunt, cæteris quoq; rationibus conſentire. M. Quæ eſt à diuerſis colligẽdi formula? B. Negatiua, nam ex affirmatione unius diuerſi conſequitur alterius remotio. Quæ quidem argumentandi ratio omnibus differentium modis ex æquo cõuenit: id quod exemplis nobis patefecero. A minore itaq;

Specie diuerſum

Genere diuerſum.

Diuerſum prædicamento.

Formulæ colligendi à diuerſis

itaq; differentibus hunc in modum colligitur. Romulus urbem Romanam condidit, ergo non Pompilius. Ilias ab Homero conſcripta eſt, ergo non à Virgilio. Cato ſum, ergo perperam me Antonium compellas. A ſpecie differentibus hoc pacto. Bucephalus equus fuit, ergo non homo. Pigmæi homines ſunt, ergo non aues. A genere diuerſis, ut ſmaragdus gemma eſt. ergo non herba. Argentea moneta eſt, ergo non aurea. Tu quum decem pondo argenti depoſueris, qua fronte auri tantundem repetis? Marmoream domum diruiſti, & reponis lateritiam? Quanquam hæc non tam genere quàm ſpecie differre dixeris. A differentibus prædicamento: ut ſi uirtus qualitate cenſetur, ergo perperam ſubſtantia dicitur. Cohors numerus eſt, ergo non ſubſtantia. M. Hactenus frater, qua licuit fide, & ratione uiginti quatuor inuentionis titulos ſigillatim pertractaſti: deinceps id abs te requiro, ſi qua conditio ſit omnium communis? Bar. Prorſum frater, & quidem huiuſmodi, ut in diſtinguendis argumentorum indicibus, ſeu potius in dijudicandis ipſis argumentis, non abſolute quodque conſideretur, ſed ad propoſitam referatur quæſtionem, ac pro illa, quam ex ea comparatione, habitudinem acceperit, nomen quoque tituli cuiuſpiam recipiat. Ex quo efficitur unum atque idem argumentum, prout modo huic, modo illi quæſtioni probandæ accommodatur, nomen quoque ſubinde commutare, in uarios inuentionis, ſiue indices, ſiue titulos referri poſſe. Sumamus exempli gra-

Cõditio omnium inuentiõis titulorum communis.

c

tia calorem, & inde argumentemur in hunc modum. Calore ſoluitur glacies, ergo frigore conſtringitur. Calor extenuat corpora, ergo non ſiccitas. Calor frigori inimicus eſt, ergo & calida infeſta ſunt frigidis. Si calor tantopere laudatur, non uituperandus ignis, in quo hic ineſt. Incaleſcit glacies, ergo reſoluetur. Calore affectus ſum, ergo qualitate. Plerumq; calet adoleſcens ergo bilioſum nactus eſt corporis ſtatũ. Septem hic cõfecimus argumentationes, quæ totidem inuentionis titulis diſtinguũtur. Quanquam enim idem caloris nomen in omnibus argumenti uice defungitur, tamen quia id in ſingulis formulis, peculiari quadam habitudine cum re probanda comparatur, non uni, uerũ ſeptem titulis ſubijciuntur confectæ argumentationes. Prima igitur à contrarijs: altera, à diuerſis? quæ huic proxima eſt, à cõiugatis: quarta, ab adiacentibus: quæ huic deinde ſuccedit, à cauſa: ſexta, à ſpecie: poſtrema argumentatio à cõtingentibus nuncupanda eſt. Ex quo efficitur, primum omni argumento nomen contingere, ex ea habitudine, qua rei probandæ iungitur: deinde utrumq;, puto argumentum, & rem in quæſtione poſitam, connexorum naturam imitari, ac mutuo conceptu & ratione intelligi. Id quò magis in aperto ſit, pingui quidem Minerua, attamen facili ratione, non dicam, ſed ita depingam, ut non tam aurium, quàm oculorum iudicio acquieſcas.

Tabula in qua argumentorum cum re probanda connexio exhibetur.

Cum argumentum ducitur à	Definitione	In quæſtione uerſantur.	Definitum
	Genere		Species
	Specie		Genus
	Proprio		Species
			Partes
	Toto		Totum
	Partibus		Coniugatum
	Coniugato		Subiectum
	Adiacentibus		Adiacent. uel
	Actibus		Actus
	Subiectis		Effectum
	Efficiente		Deſtinatum
	Fine		Efficiens
	Effecto		Finis
	Deſtinato		Locatum
	Loco		Id quod tempore geritur
	Tempore		
	Connexis		Connexum
	Contingentibus		Contingentia
	Nomine rei		Interpretatio nominis
	Pronunciatis		Id quod pronnnciato declaratum eſt.
	Comparatis		Comparatum
	Similibus		Simile
	Oppoſitis		Oppoſitum
	Diuerſis.		Diuerſum.

Vides hac ſerie, bina ubiq; nomina inter ſe conferri, quæ iuxta relatiuorum conditionem ſibi uiciſſim nomina impartiũtur, ita ut quoties argumenti titulus uarietur toties & rei probandæ nomen aliud exiſtat. M. *Accipio equidem, & rationes & nomina argumentorum non ab ea quam per ſe obtinent naturam, ſed ab habitudine, qua præſenti quæſtioni accommodantur, deſtinguenda eſſe: uerum quia duæ ut minimum uoces, in omni fere diſceptatone uerſantur, utri quæſo argumentum comparabitur, ut tituli cuiuſpiam nomen recipiat?* B. *Haud facile dixero: modo enim ſubiecto quæſtionis termino, modo prædicato, modo utriq; comparatum, certi indicis appellationem ſortitur. Veruntamen hæc præceptoris noſtri ſententia eſt, ut argumentum eius tituli nomine potiſſimum donetur, ad cuius formam tanquam legem probandi uis fideiq; ratio aptiſſime quadrarit. Vt ſi in hunc modum colligas. Adoleſcens pallet, ergo ſtudioſus eſt, non minus adoleſcenti, quàm ſtudioſo comparari poteſt argumentum, ut tituli cuiuſpiam nomen accipiat: tamen quia uis probandi, contingentium rationibus potiſſimum nititur, ſtudioſo rectius quàm adoleſcenti comparatur pallendi uerbum, & pro ea quam inde habitudinem acceperit, in certum inuentionis indicem referendum eſt.* M. *Hactenus communes inueniendi argumenti notas indiceſq; ſermone confeciſti: deinceps requiro, qui inuentionis tituli in quoque diſceptationis genere potiſſimum ſequendi ſint.* B. *Hoc iudicium ex quæſtionum*

Vtri quæſtionis termino argumẽtum conferri debeat, ut tituli alicuius nomẽ accipiat.

onum uarietate dependet. Eſt igitur harum conditio ante nobis perſpicienda, quàm id quod rogas commode expediri poßit. M. *Age itaq;, quot modis quæſtio diuiditur?* B *Multis ſane ijsq; uarijs, ſed nobis ea maxime partitio hoc loco perſequenda eſt, quæ inſtituto præſenti potißimum congruat.* M. *Quæ eſt tandem iſta?* B. *Qua duo prima quæſtionis genera numerantur, unum cognitionis, alterum actionis.* M. *Quas diſceptationes cognitioni tribuis? eas ne, quæ cognitiuarum artium aliqua continentur?* Ba. *Non equidem, ſed eas quibus cognitio rei ſcientiaq; perquiritur, quarumq; finis eſt ipſa ſcientia, non actio, quocunq; tandem artium genere contineantur. Quare ſi uel ijs partibus, quas actiuas appellant philoſophi, res in eam quæſtionis formam trahatur, cuius finis ſit ipſa cognitio huius ordinis conſtituetur diſceptatio: ut ſi in quæſtionem ueniat, quid uirtus ſit, quæ officij partes: cognitionis diſceptatio appellabitur, etſi res profectæ ſunt, ex philoſophia morali, quæ actiuo artium genere cenſetur.* M. *Quam uocas diſceptationem actionis?* B. *In qua agendi conſilium officijq; ratio requiritur, in quocunq; etiam artiũ genere uerſetur. Hoc pacto & phyſica permulta ac mathematica actionis diſputationes nobis conſtituerint, ſi in eam quæſtionis formam deuenerint, qua officij ratio atq; rerum expetendarum delectus exquiritur. Ut ſi in controuerſiam uocetur, ecquid elementorum cognitio medico ſit expetenda, ecquid numerorum ratio ſit diſcenda philoſopho.* Mi

Diuiſio quæſtionis.

Cognitiõis quæſtio.

Actionis quæſtio.

Diuiſio quæſtiõis cognitiuæ.

Diuiſio quæſtionis. Quot partes ſubijciuntur illi generi, quod cognitionis appellaſti? B. Quatuor ab Ariſtotele, an ſit res, quid ſit qualis ſit, & qua de cauſa ſit talis. Verum ab oratoribus, quos in præſentia pro arbitratu præceptoris ſequemur, tres huius generis partes numerantur, an ſit, quid ſit, quale ſit. Hunc enim quæſtionũ numerũ & ordinem Cicero non modo in orationibus forenſibus, quoties id cauſa poſtulauit, ſequutus eſt, ſed in dialogis quoq; philoſophicis plerumq; obſeruauit. M. Quam igitur uocãt

An ſit. oratores, quæſtionem an ſit? B. Eam qua quæritur ſit ne aliquid, an non ſit: fuerit, an non fuerit: factum aliquid ſit, an nõ factũ: hoc an illo factũ ſit modo: hac cauſa factum ſit, an aliam ob cauſam: hic an ille inſidias fecerit, cæteraq; id genus conſimilia. M. Quot generibus diſtin

Sit ne res omnino. guitur iſta uarietas? B. Quatuor, uno cum quæritur aliqua de re, ſit ne omnino nec ne: cui uel ſoli hoc nomen impartiuntur dialecticorum pleriq; & ueterum & recentiorum. Vt cum in quæſtionẽ uenit, ecquid nam honeſtum, ecquid æquum reuera ſint, an hæc tantum opinione hominũ credantur. Natura ne ſit ius inter homines, an opinione. M. Quod eſt alterũ genus, diſcepta-

Quis rei ortus. tioni an ſit ſubiectum? B. Quum rei origo in quæſtionem trahitur, & unde quidq; ortum ſit, rationibus indagatur. Quod genus eſt, Natura ne, an doctrina poßit

Quæ cauſa rem effecerit. honeſtas cõparari. Quod ſit initium legum aut rerum publicarum. M. Tertium quod eſt? B. Cum non tam de rei origine, quàm de cauſa efficiendiq; facultate & ratione diſſeritur. Vt ſi in controuerſiam afferatur, qui-

bus comparetur eloquentia. Cur doctißimi homines de rebus maximis diſſentiant. M. Quod eſt poſtremum? B. Cum de mutatione rei cuiuſpiã cõtrouertitur. Quod genus eſt, poßit ne eloquentia cõmutatione aliqua conuerti in infantiã. Ecquid interire uirtus in homine poſſit, an in uitium cõuerti? M. Quam uocas quæſtionem, qđ ſit? B. In qua de ijs rationibus diſceptatur, quæ ad rei ſubſtantiã pertinent. Qualia ſunt fere omnia, quæ ijs argumẽtorũ indicibus cõtinẽtur, quos in ſubſtãtia ante uocauimus. M. Quot diſceptatiõis formæ, quid eſt quæſtioni ſubijciũtur? B. Sex una, cũ de rei præſentis genere quæritur, ut ſi in quæſtionem ueniat, in quo artis genere Rhetorica numerãda ſit. Sit ne prudentia uirtus moralis. Altera eſt cũ proprietas et differẽtia, id eſt, quid cuiusq; propriũ ſit, exquiritur, ſiue id proprij ſiue differẽtiæ appellatione ueniat. Vt ornate dicere propriũ ne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poßit. In hominẽ ne ſolũ cadat, an etiam in beluas, ægritudo. Sit ne dialecticis propria, ueri falſiq; dijudicãdi facultas. Tertia, quũ rei finitio, ſeu notio, hoc eſt, quod cõmuni mẽte quaſi impreſſũ ſit quæritur. Vt ſit ne ius, quod maxime parti utile eſt. Sitne iuſtitia uirtus, quæ publica utilitate conſeruata, ſuum cuiq; tribuat. Quarta, quum aliud ne ſit, an idem, quæritur. Vt idem ne ſit pertinatia & perſeuerantia. Idem ne ſit liberalitas & magnificentia. Idem ne ſit incubus & apoplexia, an aliud. Quinta, quum forma & quaſi naturalis nota, quæ deſcriptione exprimi ſolet, quæritur. Vel quod

Quæ mutatio rei.

Quid ſit. Cuius generis ſit res.

Quæ differentia ſeu proprium.

Quæ definitio.

Idem an diuerſum.

Quæ deſcriptio.

idem eſt, cum deſcriptio generis alicuius & quaſi imago inquiritur, ut qualis ſit auarus, quæ luxurioſi ſpecies & imago. Quæ ſuperbiæ ſit deſcriptio. Poſtremo quid eſt, ſubijcitur diſceptationis forma, qua diuiſio & eodem modo partitio, rei cuiuſpiam exquiritur. Vt ſunt ne genera bonorū tria. Sunt ne præcipuæ hominis partes, anima & corpus. Recte ne cupiditates diuidantur in naturales neceſſarias, in naturales non neceſſarias, & in non naturales. Hanc enim Epicuri diuiſionem reprehendit Cicero. M. Quæſtionem, quid eſt, pertractaſti, ſed quæ eſt qualitatis ratio? B. Hanc uocamus in præſentia, quicquid non eſt ſubſtantia rei præſentis. Quare huic diſceptationi ſubijci fere omnia poſſunt, quæcunq; de re propoſita quæri poſſunt, ex inuentionis titulis, quos circa ſubſtantiam, applicita, & accidentia uocauimus, ut ſit ne anima immortalis. Obeat ne anima omnes in corpore functiones. Sit ne uis animæ per uniuerſum corpus æqualiter diffuſa. Sit ne anima corpore prior. Quæq; cætera in hunc modum extra rei ſubſtantiam in quæſtionem ueniunt. Hactenus ſit nobis expeditū earum diſputationum uarietas, quarum finis eſt cognitio atq; ſcientia, quasq; in ſcholis potiſsimum tractant philoſophi. M. Quæ igitur eſt ratio generis alterius, quod actione terminaſti? B. Eius uarietas duobus generibus diſtinguitur, uno, quod in exquirenda officij ratione uerſatur, & ad communem uitæ uſum refertur, altero, quod in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedanda, aut tollenda

Quæ diuiſio uel partitio.

Quæſtiōis quale eſt, uarietas.

poſitum eſt. M. Prioris generis quot modi ſunt?
B. Duo, unus, cum de expetendis conſequendiſq; re- 1
bus diſceptatur, ut ſint ne expetendi honores, philoſo
pho ne ſuſcipiendi ſint liberi. Quibus rebus adipiſci
gloriam poſsis. Quibus rationibus deuinciantur uul-
gi animi. Alter in conſtituendo rerum delectu uerſa-
tur. Cuius rurſum tres formæ numerantur: una cum
de utilitate quæritur, ut ſit ne utile Rempub. admini- Vtile.
ſtrare. Expediat ne alieno arbitratu uiuere. Altera, 2
quum de æquo & iniquo diſceptatur, ut æquum ne ſit
ulciſci iniurias, etiam propinquorum. Sit ne æquum, Aequum.
amicos cognatis anteferre. Aequum ne ſit emptorem
in contractu aliquid cælare. Tertio, cum de honeſto Honeſtum.
& turpi quæritur, ut honeſtum ne ſit pro amico inui- 3
diam ſubire, aut de uita periclitari. Honeſtum ne ſit
gloriæ adipiſcendæ cauſa, mortis periculum adire. Por
rò in his ſingulis, ex comparatione quæritur, non mo
do quid utilius, quid honeſtius, quid æquius: uerumeti-
am quid utiliſsimum, quid honeſtiſsimum, quid æquiſsi-
mum ſit. M. Perfeciſti eam diſputationis partem, Quæſtiões
quæ officiorum ratione continetur, iam alteri quæ ad per compa
animi affectũ pertinet, quæ formæ ſubijciuntur? B. Co rationem.
hortationes ad defendendam. Rempub. ad gloriam,
ad laudem adipiſcendam. Deinde querelæ, incitatio- Diſcepta-
nes, miſerationes flebiles, conſolationes, obiurgatio- tiones quæ
nes, omniſq; ad omnem animi motum, & impulſio, & in tractãdis
ſi ita res feret, mitigatio. Hæc eſt communium quæſtio affectibus
num partitio, quas græci θέσεις Cice. propoſita uo- uerſantur.

cat: eadem in ὑποθέσεις quoq;, hoc eſt, cauſas & con trouerſias transferri poteſt. M. Vis ne, ut quæſtio num uarietate conſtituta, tanquam à calce ad carceres reuerſi, breuiter complectamur, qui tituli in quoq; diſceptationis genere potiſſimũ excutiendi ſint. B. Volo equidem, mi frater, idcirco enim quæſtiones ab initio partiti ſumus, ut id cõmodiſſime à nobis fieret. M. Qui igitur indices perquirendi ſunt in id genus diſceptatiõibus, quæ ad an ſit, ſiue coniecturam referuntur? B. Adiacentia, actus, cauſæ, efficientia, euenta, applicita, contingentia, & pronunciata. Quanquam uel in his ipſis delectus habendus eſt, quæ in quaq; cõiecturæ parte tractanda plurimum ualeant. M. Quid? in ijs diſceptationibus, quæ ſub quid eſt, continentur, qui ſunt indices conſulendi? B. Generis, ſpeciei, proprij atq; differentiæ ratio omnis. Deinde partium & totius conditio, omniſq; definiendi diuidendiq; ſcietia. Licebit his inſuper admiſcere, adiacentia & actus, deinde comparata, nomen rei & ex repugnantibus non nulla. M. Cum de qualitate controuertitur, qui tituli adhibendi ſunt? B. Externi plæriq; omnes. Atq; hæc ferè eſt inuentionis ratio in ijs diſceptatiõibus tractandis, in quibus cognitio atq; ſcientia ſpectatur. M. Accipio, ſed in altero genere quæſtionum, quod actionis nuncupaſti, qui ſunt indices perquirendi? B. Eius com plures formas numerauimus: cum igitur de fugiẽdo & expetẽdo quæritur, primas partes ſibi uindicant fines, deſtinata, cauſæ et effecta. Quibus pro arbitratu noſtro

Qui indices in quoque diſceptationis genere præcipui ſint.

applicita

applicita, contingẽtia, cõparata & repugnantia adiungemus. Cæterũ cum de rerum delectu ſimpliciter diſſeretur, interim indices, ad uirtutum, commodorum & æquitatis rationes colligendas, adhibendi ſunt. Quibus cauſæ, euenta, applicita, comparata & pronunciata non male alicubi acceſſerint. Ex his ipſis omnis quoq; bonorum comparatio propemodũ inſtitui poterit. Poſtremam partem, quæ ad animorum perturbationes refertur, cauſarum, euentorũ, applicitorũ tituli inſtruẽt. Quanquã abſolutam huius generis tractationem è Rhetorum libellis fortaſſe cõmodius deprompſerimus, quibus partim à cõmuni uita, partim è philoſophia, partim ex iuris prudentia ſuo quodam iudicio cõportatos, copioſe & diligẽter id genus diſceptationes inſtruũt, quæ actione, & communi uiuendi modo terminantur. M. Teneo hanc titulorũ diſtributionem, in qua duplici nomine aliquid requiro. Primum, quod non ſatis exacta ratione cõplectatur, qui inuentionis indices uel ſoli uel maxime, in quoq; diſceptationis genere ſequendi. Deinde in quod, etiãſi in quoq; genere quæſtionis præſcriptos & tanquam præformatos, argumentorum titulos ſuppeditet: tamen in controuerſia relinquat, qua uia quáq; ratione ipſorum tanquam indicio, argumẽta in rem præſentem colligendã ſint. Quare, mi frater, eam nobis diſciplinam, ſiue rationem expone, quã præceptor huic muneri obeundo tanquam publicam miniſtram addictam eſſe uoluit. B. Lubens id equidẽ, tuo rogatu faciam, amantiſſime frater, ea tamen lege, ut

ſi quid me effugerit, id clementer admoneas. Nam & temporis ratio effecit, ut hic reſpondendi labor mihi grauior eſſe cœperit, & ſermo noſter pluribus extrahitur, quàm ut memoria ordine omnia ſuppeditarit. M. *Nihil detrecto, quanquam exiſtimo, in re tibi notiſſima, nihil te præteriturum, cuius mihi in mentem uenire poſſit. Non igitur uideo quà prodeſſe tibi poſſim, niſi ut rarius te interpellem, quo in oratione perpetua firmior memoria ſuppetat.* B. *Tentabo igitur hanc facultatem methodo aliqua, & propemodum diſciplinæ formula conſtituere, hunc in modum. Duo ſunt diſceptationum genera, alterum quod aut nullis propè artium finibus, aut non exacta ratione continetur, ſed in communi uitæ uſu, uulgique ſenſu poſitum eſt, ut cum de gubernanda Repub. de bello hoſtibus inferendo, de recuperanda pace, de cæteris deniq; ciuitatis negocijs conſilia conferuntur. Alterum certis artium decretis comprehenſum eſt. Quod genus ſunt, diſceptationes mathematicæ, phyſicæ, medicæ, morales, & Theologicæ, quæq; in ſimili genere uerſantur.* M. *Quorſum hæc?* B. *Nimirum ut ſcripturi aliquid, uel quod idem eſt, diſputaturi, ab initio quæſtionis propoſitæ conditionem naturamq; ſedulo exploremus. Nam ubi uulgarem eſſe diſceptationem, & in communibus uitæ rationibus poſitam animaduertimus, communis item animi ſenſus, integrumq; mentis iudicium erit nobis conſulendum, adhibita inueniendi diſciplina, cuius beneficio uniuerſam quæſtionis ueluti*

Ratio examinandæ quæſtionis ad inuentionis titulos.

cognationem, & labore facili & ordine conſentaneo perluſtremus. Hoc *enim pacto conſequemur, ut nihil iſtorum nos effugiat, quæ ad rei præſentis fidem & rationem adiumenti aliquid polliceantur.* M. *Quid ſi diſceptatio generis alterius contingat, quod arte termi naſti?* B. *Nam & hæc quæ iam retulimus, & cætera nobis ſequenda erunt. Primum enim operam dabimus ut exploratum ſit, ex quo artis genere, quaúe ex profeſsione, res quæ in quæſtionem uenit, deprompta ſit. Huic proxima erit cura diducendæ quæſtionis in uoces ſimplices, præcipuas tamen, quas ſubiectam & prædicatam uocant* Dialectici. *Quibus accurate per fectis, in eam profeſsionem, qua propoſitæ quæſtionis noticia continetur, recta proficiſcemur, communibus argumentorum indicibus tanquam in uiam adhibitis, quorum admonitu res inſtituto noſtro conſentaneas ue luti ex magna ſylua materiam conſtruendo ædificio de ligamus. Quod ut nullo fiat errore, ita comparabitur. Primum argumentorum indices, uel omnes, uel quot uſus exiget, ordine conuenienti in chartam tanquam tabulam referemus: idq; bis teróe, prout partium quæ ſtionis præcipuarum numerus poſtulabit.* Deinde *ſingulis titulorum ordinibus, ſingulæ quæſtionis partes è regione ad medium ſubijciuntur.* His *ita deſcriptis, ultró citroq; per eam artem, qua res in quæſtione poſita continetur, animus oculiq; circumferendi ſunt, ſeduloq; diſpiciendum, ecquid ſe offerat, quod ad rem præ ſentem comparatum, certum argumenti & nomen*

& uſum accipiat. Quod ſi primus conatus parum ſuc cedat, & uel nihil uel non ſatis conſentanea ſeſe nobis offerant, non ut ignaui milites clypeum, ſic nos indagandi ſtudium, ſubito abijciemus: ſed denuo, tertio, quartóue iterabimus inquirendi laborem, idq; tantiſper uſurpabimus, dum pro facultate rei præſentis, numeroſam argumentorum contulerimus ſupellectilem.
M. *Quo ordine hæc ſupellex in tabulam, quam dixiſti, referenda eſt?* B. *Vt ſuam cuiq; titulo inuentionem aſſcribas, & id quidem hoc ordine, ut quæſtionis pars, quæ deſcribitur, & id quod in argumenti uſum ex titulorum indicijs inuentum fuerit, pronunciatum conficiant, in quo niſi id rerum conditio recuſet, argumentum prædicati, res probanda ſubiecti locum occupet.* Hanc explorandi thematis rationem, quò rectius *animo complectamur, oculorum ſenſui conabor ſubijcere.* Demus igitur in quæſtionem uocari, ecquid iuſticia ſit uirtus. Cuius quæſtionis finis erit ipſa cognitio, *quæ non tam communi animi ſenſu, quàm philoſophorum decretis comprehenſa eſt.* Perſpecta iam eſt, quæſtionis conditio, quæ primum utcunq; indicat, qui indices præcipue conſulendi ſint, in ipſius examine: deinde artem quoq; cuius finibus eius noticia continetur, ſuggerit. M. Qui igitur erunt hic potiſſimum, ſequendi indices? B. Interni pleriq; omnes, externorum autem illi, quorum argumenta, in probando roboris permultum obtinent. Qualia ſunt quæ uocauimus cognata & applicita. Erunt tamen cæteri quoq; indi-

ces adhibendi. Nam & ipſi fortaſſe adiumēti aliquid in rem præſentem ſuppeditauerint. M. Teneo, ſed qua philoſophiæ parte huius quæſtionis noticia continetur? B. Ea, quæ de conſtituendis moribus & de rerum expetendarum fugiendarumq; diſcrimine, perſcripta eſt. Verum his ita comparatis, ad rem propius accedendum eſt. Quandoquidem igitur, duas quæſtiō partes habet præcipuas, iuſticiam & uirtutem, totidem nobis titulorum ordines deſcribentur, ita ut ſua cuiq; pars quæſtionis, è regione ſubijciatur. Quibus ex præſcripto diligenter confectis, tenſa iam ſunt retia, explorata ferarum ueſtigia. Supereſt itaq;, ut, tanquam feras uenator, alacri ſtudio per omne nemus inſequitur: ſic nos omnem thematis explorandi cognationem, præſenti animo in ea profeſſione uenemur, unde ipſam depromptam eſſe intellexerimus. Porrò nō temere, ut quodq; ſeſe obtulerit, ita in chartam referetur, uerum ſua cuiq; indici aſſcribetur inuentio, in hunc ferè modum.

Titulorum ordo.	I. pars quæſtionis.	Inuentio argumentorum.
Definitio		Virtus communi utilitate ſeruata, ſuã cuiq; dignitatem tribuens.
Genus		Virtus.
Species		Religio, pietas, beneficentia, gratia & amicicia &c.
Proprium		Suum cuiq; ius & dignitatem tribuere.
Coniugata	Iuſticia	Iuſtus, iuſtè agere.
Efficiens		Natura & conſuetudo, &c.
Effecta		Iuſtæ pœnæ, honores, legitimi, & in Repub. æquitas.
Pronunciata.		Cic. Iuſticia eſt uirtutum domina et regina.
Contraria		Iniuſticia.

Cætera id genus, ſimili ratione perſequenda ſunt.

Titulorum ordo	*2. pars quæſtionis.*	*Inuentio argumentorum*
Definitio		*animi habitus, naturæ modo rationi conſentaneus.*
Genus		*Habitus animi.*
Species		*Prudentia, iuſticia, fortitudo & temperantia,*
Proprium uel differentia.	*Virtutis*	*Rerum quæ ſecundum naturam ſunt, habere delectum.*
Coniugata		*Probus, & probè facere.*
Subiectum.		*Ratio & uoluntas.*
Efficiens		*Natura, ratio & cõſuetudo.*
Effecta		*Vita honeſta, & boni mores.*

Si quis cæteros quoque indices ſimili pacto excutiet, magnam inuentionis copiam breuiter congeret. Verū *ut ad inſtitutum reuertamur, hic pro quæſtionis partium numero, duo titulorum deſcripti ſunt ordines, & ſua cuiq; inuentio nonnulla, quàm id fieri potuit breuiſsime, ſubiecta.* Non enim id agimus, *ut tanquam ſcolam philoſophi, ſic nos omnem explicemus uirtutis rationem.* Verum *ut in uno exemplo, eum exercendi modum pingui Minerua, & tanquam digitis commonſtremus, quem nobis præceptor, optima fide, ſæpenumero commendauit.* Ac *etiam nunc ſtudet, nos eò traducere, ut hāc diſcendi rationem, cum in cōmunibus ſtudijs, tum in ſua quiſq; arte percipienda pro uirili ſequamur.* Exiſtimat *enim ſimili induſtria uſos apud ueteres, cum eloquentiæ candidatos, in communium rerum capitibus magna orationis ſuppellectile ex authoribus locupletandis: tum in ſuæ quenque diſciplinæ locis communibus, certa quadam ratione & ordine pertractandis.* Ab *hac enim exercendi ratione cenſebat* Peri*pateticorum de qualibet re propoſita diſſerendi facultem eſſe profectam.* Addebat *porrò in eadem facultate cum oratorum tum philoſophorum nonnullos eò progreſſos eſſe, ut in celeberrimis* Græcorum *conuentibus, de quocunq; uellent auditores congnoſcere, de eo copioſe & probabiliter ex tempore dicerent.* M. Accipio *frater, uerùm ne longius deflectat oratio, quid in hac facultate proximum eſt ubi membra diſceptationis præcipua, ad inueniendi conſilium expenderimus?*

B. Duplex

B. Duplex comparatio, una qua partium quæſtionis loci, ſiue argumenta, inuicem conferuntur, & proinde ut hæc aut conuenerint inter ſe, aut pugnauerint: ita diſceptationis quoq; partes, aut conuenire aut diſcrepare credantur. Altera, qua partes quæſtionis propoſitæ in ſingulis argumentis tanquam regula ſibi inuicem comparantur. *Regula.* Hoc enim argumentationis tanquã fundamentum eſt, ut propoſitæ quæſtionis partium inter ſe concordiam exploraturus, ambas in tertio aliquo conferas uocabulo, quod, ut minimum alteri conſentaneum eſſe perſpectum ſit. Nam quæcunq; duo in uno tertio conſentanea ſunt, inter ſe quoq; recte iungi: & contrà, quæ in eodem tertio diſsident, eis nec inter ſe conuenire, ſedula obſeruatione deprehenſum eſt. *Tranſitio.* Ex quorum altero affirmatiuæ, altero negatiuæ, collectionis ratio omnis proficiſcitur. Hactenus omnem ferè de inueniendi argumenti diſciplina præceptoris ſententiã expoſui: cui ſi quæ de argumentorum delectu, collocatione & tractatione ab eodem breuiſsime dici ſolet, adiunxero, omnem hunc confecero ſermonem. *Delectus argumentorum.* M. Primũ igitur quæro, ecquid in orationem aſſumi conueniat omnia, quæ in quæſtionis examine faciendo ſe obtulerint. B. Minime, ſed agendus eſt rerum inuentarum delectus: idq; ſedulo. Multa enim occurrunt argumenta, quæ tametſi in pertractanda diſceptatione fidei & adiumenti aliquid uideantur polliceri

ut inſit in ijs plus uitij quàm adiumenti. Neq; tamen leuia ſtatim omnia ſecernenda ſunt, niſi omnis commoditatis expertia fuerint. Ex quo efficitur, in colligendis quæſtionum argumentis, non tam ea numerare oportere, quàm expendere, ut deligantur ea, quæ roboris permultum ad probandum & refellendum, uel alioqui ad illuſtrandam orationem dignitatis nihilominus poßideant. M. Quid? quæ utilia ſunt atq; firma, ſi ea (ut ſæpe fit) ualde multa ſint, cenſes ne omnia ad unius cauſæ tractationem colligi oportere? B. Minime, nam id oratoris fuerit cum inepti, tum copiam pueriliter affectantis & uenditantis orationis artificium. Quare cum frequens argumentorum etiam utilium & firmorum numerus, ex inuētione ſuppeditabit, tum quæ ex ijs aut leuißima erunt, aut à re propoſita diſtabunt longius, ſecernemus, & ex diſceptatione, tanquā ex acie ocioſos milites remouebimus. Michael. Delectum argumentorum teneo, ſed quæ ordinis & collocationis ratio ſequenda erit, cum plura in orationem recipientur? Bartholomeus. Vt firmißima quæq;, partim in initio, partim ad finem diſceptationis collocentur: mediocria autem (nam uitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam ingerantur turbam. Nam hic ordo uel duplici nomine probatur, quod auditori & expectationi quàm celerrime ſuccurit, & animum qua ſemel imbuerit perſuaſione eadem dimittit. Deinde mediocria, quæ in mediam, tanquam aciem recepta ſunt, ea etiamſi robore parum ualent, numero tamen

Annotatio.

Collocatio argumentorum.

ad confirmandum & refellendum controuerſiæ ſtatum, adiumenti nonnihil contulerint. M. *Collocationem quoq; accepi, deinceps tractationem argumentorum expecto.* Bart. *Huius ratio breuiſsime diuidi poteſt in argumentandi formas, & in uarietatem tractationis.* M. *Quot igitur numerant* Dialectici *formas, quibus omne argumentum explicatur?* B. *Quatuor, ſyllogiſmum, enthymema, inductionem perfectam & imperfectam, quæ cum uarie apud oratores tractantur, multiplices orationis tanquam figuræ exiſtunt, quas illi partim argumentationes, partim exornationes appellant.* M. *Teneo id quoq;, uerum iſtuc iam requiro, ex quibus inuentionis titulis in quaq; forma colligatur frequentius.* B. *Ex internis pleriſq; omnibus, applicitis & repugnantibus per ſyllogiſmum argumentum tractatur commodiſsime. Per inductionem perfectam, ut plurimum colligitur ex partibus & ſpeciebus. Comparata, ſimilia & pronunciata, per inductionem imperfectam frequentius tractantur. Cæterum per enthymema ferè colligitur, ex cauſis, euentis, contingentibus, oppoſitis & diuerſis. Neque tamen hæc ratio in eum modum accipienda eſt, ut certi argumentorum indices, certis item colligendi rationibus lege quadam immutabili addicti eſſe credantur.* Mich. *Accipio, uerum in tractandis argumentis quam conue*

Tractatio argumentorum.

Colligendi formula ex ſingulis inueniendi indicibus.

mur. Recepit enim ſe magiſter, de tribus his partibus quas iam attigimus aliàs ex profeſſo traditurum præcepta. Conciliabitur itaq; nõnihil uarietatis, ſi & alijs alijsq; ſubinde argumentandi formulis utemur, & unamquamq; uaria diſtinguemus & compoſitione & elocutione. Verum pluribus iſta perſequi non arbitror fore operæprecium, niſi cum nobis ſuam magiſter ſententiam, quemadmodum ſe facturum pollicitus eſt, explicarit. Confecimus itaq;, mi frater, iam omnem, quem inſtituimus, ſermonem. Mich. *Vis ne igitur, ut quod diei reliquum eſt, id aut curriculo, aut ludo ſphærico tribuatur?* Bar. *Prorſum: nam quod ſub cœnam uacuo corpore, exercitium ſuſcipitur, id tuendæ ualetudini in primis conducere perhibent medici, quod & corpus excrementicijs humoribus exhauriat, & naturæ calorem tanquam ſopitum exuſcitet, præparetq; ad cibum conficiendum.* M. *Agedum, recta hinc in ſphæriſterium proficiſcamur. Nam hic eſt locus curriculo parum aptus.* Bar. *Properemus igitur, ac ſingula propè temporis momenta, diligenter ad calculos uocemus, ne ſi diutius abſimus, cœna indignè fruſtremur.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA